Acquired with the assistance of the

Sylvia Augusta Brown

Fund

JOHN CARTER BROWN LIBRARY

109361-

JUNGENDORUM
MARIUM FLUVIORUMQUE
OMNIS AEVI
MOLIMINA

AUCTOR
JER. JAC. OBERLINUS
IN UNIVERS. ARGENT. ELOQUENTIAE LATINAE ADJUNCTUS.
ACADEMIAE REGIAE INSCRIPTIONUM
AD EPISTOLARE COMMERCIUM ADSCRIPTUS.
ROTOMAGENSIS ET CORTONENSIS ACADEMICUS.
LONDINENSIS SOCIETATIS ANTIQUARIAE SODALIS.

ARGENTORATI,
Apud JOH. FRID. STEIN.

Typis JONAE LORENZII.
1775.

PERMISSU SUPERIORUM.

RPJCB

VIRO ILLUSTRI

D'ANSSE DE VILLOISON

ACADEMIARUM

REGIAE PARIS. LITTERAR. ELEGANTIORUM SODALI

MADRITENSIS, BEROLINENSIS, GOETTINGENSIS,

MANHEMIENSIS, MASSILIENSIS, ROMANAE

SOCIO PHILELLENI

Χαίρειν καὶ εὖ πράττειν.

Lucubratiunculas noſtras, illuſtrandis audacibus mortalium conſiliis dicatas, inde ab aliquot annis more majorum publice defendere in ſe inſumſere Viri juvenes noſtrates, optimarum litterarum cultores ſtrenui, JOH. LUD. RITTER, is ipſe, quem Pariſios hinc evolantem Tuae amicitiae haud ita pridem commendavimus, JOH. GOD. ROEDERER, JOH. MÜLLER, JOH. LUD. RAUTENSTRAUCH. Huic nuperrime demum durior paullo Sparta obtigerat, recentiorum conaminum

omnem ſeriem, brevi compendio comprehenſam, tutanti. Eam telam nunc fuſius pertexere eſt in animo, eoque conſilio quicquid pagellarum eſt, de ducendis foſſis hactenus evulgatum, heic in unum colligere viſum, communique titulo ornatum harum litterarum amantibus offerre. Eo magis autem ſperare licet, ſic commode factum iri, ut & alia opuſcula, nobis incognita, vel in notitiam noſtram, vel, quod optamus magis, in manus etiam perveniant, quod nobis haec ſcribentibus & foſſae Durlacenſis plenior expoſitio & nova Ladogenſis foſſae uberior tabula advenerit; quarum illam amicitiae *Celeb.* RINGII, hanc *Viri Strenui Nobiliſſimique*, MEYERI, qui *Illuſtriſſimum Comitem* SKAWRONSKIUM ad noſtram Muſarum ſedem comitatus nobis in deliciis eſt, munificentiae debemus.

Ceterum nunc prorſus temperare mihi nequeo, quin Illuſtri Tuo nomini hoc opuſculum meum conſecrem, mi VILLOISONI, cui dudum certe, ſi commoda ſeſe occaſio obtuliſſet, gratiſſimae mentis pignus quoddam deſtinaveram. Atque utinam tandem mihi contingat eſſe tam beato, ut in Tuos Tuique ſimilium, quorum innumera in me beneficia extant, amplexus ruere, ut ſcholaſticum pulverem, quo probe ſum obſitus, aliquantum excutere, ut ex uberrimis eruditionis omnigenae

genae fontibus Pariſinis ſitim, quae dudum fauces exaſperavit, reſtinguere, ut denique antiquarias gazas luſtrare & tot veterum & recentiorum artificum miracula coram conſpicari, luſtrare, ſtupere liceat! Accedit, quod nunc quoque cupido inceſſit animum, quaedam ſapientiae humanae documenta, in hoc libello memorata, ſaltem Gallica, cominus, ſi fieri poſſit, inſpiciendi mirandique. Sed, ohe! votorum jam ſatis eſt, quae, ne in fumum abeant, & inter irrita mea conamina quondam referenda ſint, vix eſt, ut non verear.

Valere Te nunc plurimum juberem, dulciſſime VILLOISONI, ni vario modo abſque mora doctrinam meam emendandam ſupplendamque viderem. Tu itaque me per ſingula peccatorum loca euntem, ſi res tanti videatur, ſequere.

Ad priſca jung. marium fluviorumque molimina referenda & Foſſa Carauſii in Anglia a *Peterborough* ad Eboracum. v. STUKELEY *hiſtory of Carauſius.*

pag. 7. *Cel.* D'ANVILLII, toties a nobis jure laudati, fata recentia temere & publicis novis decepti olim doluimus. Verum ſalva res eſt, vivit vir optimus, & quam diutiſſime vivat.

Inter medii aevi conamina nonnulla induſtriam noſtram effugerant, quae in recenſendis recentioribus hinc inde inſperſimus. Diſpiciendum tamen foret porro de foſſa prope Aleppum a. 1208 ducta, de qua in *Allgem. Welthiſtorie* T. XXI. p. 140.

ad p. 77. de Foſſa Atacenſi majore & dudum perfecta v. BOULAINVILLIERS.

p. 79. inſeratur inter foſſas perfectas.

Foſſa ex Bruſca in Rhenum prope Argentoratum, vulgo *der Rheingieſſen*. de quo SILBERMANN opere laud.

Foſſa Alſatica Landavienſis v. Germershemienſis, in Queicha, ab Anvillera vico ad Landaviam, & inde in Rhenum.

deleatur Foſſa Mardycenſis & referatur ad Belgicas.

in perfectis & neglectis ponendae.

Foſſa Rubeacenſis Alſatica. Rubeaco (*Ruffach*) ad Novum Briſacum. v. LAGUILLE.

Foſſa Druſenhemienſis Alſatica. Ex confluentibus Elli & Rheni in Wanzenavia ad Druſenhemium & inde ad Saletionem (*Selz*). confecta a. 1706. pace reſtituta neglecta eſt iterum.

ad p. 80. Conamen irritum

aquaeductus *de Maintenon* ex Eura Verſallias deducendus. v. EXPILLY. ubi de Foſſa Picardica, deleantur verba, „ ope Sabis (*Sambre*) & p. 107. „ & cum Moſa. „ Rectius enim hoc conſilium ſejungitur.

Foſſa ex lacu Sigeani — ad perfectas referenda.

p. 81. Foſſa inter Belloquadram &c. ad conamina hodierna ſpectat. adjicienda heic conſiliis conſilium

Foſſae, quae foſſas *de Donzères* & *de Bouc* jungeret.

p. 82. Aquaeductus Yvettae cur hic relatus, ſuo loco declarabitur.

Foſſae Pariſinae, qua, *lege* quae

p. 84. adjicienda conſilia

Foſſae ex Iſara in Sabim (*Sambre*) a Guiſia ad Landericiacum, itemque ex Sabi in Scaldim ope fluvii Selliae. v. EXPILLY v. *Picardie*.

Foſſae a Dunkerka ad Burdegalam, ope fluviorum *Aa*, *Lis*, *Ternoiſe*, *Canche*, *Authie*, *Somme* . . . v. EXPILLY. T. II.

p. 85. adjice

Nieuwe vaart na Ghent. inſtauratur hodie.

p. 86. addatur Zeelandicis

Foſſa ex Scaldi orientali v. Schengia ad oppidum *Goes* ducta a. 1442.

ad Hollandicas

Foſſa Alkmaaria Hoorniam ducta, initio Saec. XVII.

p. 87. Foſſa e Rheno in Moſam inter Poll &c. transferenda ad Germanicas in Cliviae Ducatu.

p. 88. de Foſſa Lancaſtrica videri quoque debet MORTIMERS *elements of commerce, politics aud finances.* 4. Lond. 1772.

p. 91. Foſſa e lacu Verbano &c. dici ſolet *il Ticinello.*

p. 93. Foſſae Mediolanenſis conſilium potius conamen hodiernum eſt, cui jam a. 1773 FÈ & ROSETTI manus adjecere.

p. 95. Foſſam Sieburgenſem CAROLUS *Haſſiae Landgravius* cura MÜNNICHII ſtruxit circa a. 1710. procedit a *Karlshaven* ad confluentes Diemelii & Viſurgis, ubi olim Sieburgum fuit, ad Grebenſtein. v. BÜSCHING. item *Leben des Grafen von* MÜNNICH.

p. 95. Foſſa Brombergenſis ad Polonicas rectius.

p. 96. Foſſae novae Ockeranae conamen hodiernum. *Ill. L. Baro de* MUNCHHAUSEN momenta praecipua ſuggerere nobis promiſit.

p. 98. In Dania. perfectae minores hic omiſſae Foſſa Arhuſana & Tunderenſis.

p. 102. Ad Suecica conſilia ex recentiſſimis litteris *Nobiliſſ. de* ROECK adjicienda

Foſſae e lacu Somen in Roxen.

Foſſae e lacu *Paejanae-Selke* ad *Borgo.* conſilium *Ill. Comitis de* EHRENSWAERD.

Foſſae ex eo lacu in ſinum Finnicum ope fluvii *Kymmene.*

ad opera de Ruſſicis adde *Moſcowitiſche Briefe.*

p. 103. de Foſſa Twerzenſi cf. *Voyages and Travels through the Ruſſian Empire, Tartarey and Perſia by* J. COOK.

ad Ruſſicas ſive perfectas ſive minus

Foſſa Ligowienſis. prope Petropolin.

Foſſa Tiſmenſis in praefectura Novogrodenſi, jungendis Foſſae Ladogenſi & mari Baltico cum lacu albo (*Belo ozero*).

v. SCHMIDII *tabula Cub. Petropol. & Novogrod.*

l. 17. pro Kocoſchae *lege* Kowſchae.

p. 105. adde IN INDIA

Foſſa Tunkinienſis. de qua TURPIN *Hiſt. de Siam.*

p. 106. addatur

Foſſa Alexandrina, & alia Babylone (*Caïro*) Siriacuſam ab Muhammede Mammaluko ducta ſaec. XIV. v. DEGUIGNES *hiſt. des Huns.*

Iſta, partim in conflictu publico monita, partim caſu abhinc oblata, heic ſtatim adjicere viſum, ne iis afferendis amici operam perderent, & ut in alia potius mentis aciem dirigerent. Tu, amice, cuncta, ut ſoles, aequi bonique conſule meque amare perge. Vale. dabam Argentorati Id. Sept. MDCCLXXV.

PRISCA
JUNGENDORUM
MARIUM FLUVIORUMQUE
MOLIMINA.

χαλεπὸν ἀνθρώπῳ τὰ θεῖα βιάζεσθαι.

PAUSAN. *Cor.*

CONSPECTUS DISSERTATIONIS

a. Introitus, de canalium auctoribus, usu & scopo, successu & describendorum adminiculis.

b. Tractatio ipsa. MOLIMINA

I. EUROPAEA §. I.
1. Fossa Drusiana inter Rhenum & Salam & Cl. Civilis abactio Rheni. §. II.
2. Fossa Corbulonis ex Rheno in Mosam. §. III.
3. Fossa a L. Vetere tentata copulandis Mosellae & Arari. §. IV.
4. Fossa C. Marii ex Rhodano in Mare mediterraneum. §. V.
5. Isthmi Corinthiaci tentata perfossio. §. VI.
6. Isthmi Athoi perruptio. §. VII.

II. ASIATICA §. IIX.
1. Mimantis & §. IX.
2. Cnidii Isthmi tentata abscissio.
3. Caspii & Nigri maris destinata conjunctio.
4. Fossa Regia Euphratem inter & Tigrim. §. X.
5. Fossa ex Eulaeo in Tigrim. §. XI.

III. AFRICANA
Fossae ex Nilo in sinum Arabicum ductae. §. XII.

PRISCA
JUNGENDORUM MARIUM FLUVIORUMQUE MOLIMINA

JUNGENDORUM marium fluviorumque molimina a remotiſſimis inde ſaeculis ad quartum ab inſtaurata humana ſalute ſat multa deprehendere licet, quibus Rhenum cum Sala, Moſa & Rhodano, Euphratem cum Tigri, Tigrim cum Eulaeo, Oceanum ſeptentrionis cum mediterraneo mari, mediterraneum cum rubro, Jonium cum Aegaeo, cum Caſpio nigrum amice connectere; novos Rheno, Rhodano, Tigri, Euphrati,

phrati, Nilo creare alveos, ſcindere terras, perfringere montes allaborarunt priſci.

Eos conatus, ſive, ad quos ſint referendi auctores, reſpicias, ſive ipſius operis magnitudinem uſumque multiplicem attendas, grandes, nobileſque jure meritoque dixeris.

Ita Seſoſtris, Nabuchodonoſoris, Hyſtaſpidis Darii, Alexandri Magni, Ptolemaeorum, Druſique & Corbulonis Romanorum ſub Auguſti & Tiberii auſpiciis ducum, Trajani item aliaque illuſtria antiqui orbis nomina utramque nobis paginam facient. Neque id profecto mirum. Auguſta haec conſilia non arctis minutarum regionum limitibus circumſcribuntur, ſed latiſſima imperiorum ſummorum ſpatia, immenſaſque opes ut plurimum requirunt, ſiquidem finis conamine dignus obtineri debeat. Etiamſi enim non diffitemur, nonnunquam ad rigandos modo campos vel cavenda inundationum pericula ſimile quid eſſe tentatum, quod minoris forſan momenti videri queat, neque proprie ad noſtram diſquiſitionem pertinet, frequentius tamen vel ad tuendam libertatis dulcedinem vel ad bellicas expeditiones juvandas, vel ad proferendos commerciorum (*a*) fines,

---

(*a*) Navigationis commerciorumque rationem junctis fluviis & maribus nonnunquam eſſe mutatam, ex ſequentibus patebit, imo ex iis quoque patet, quae vel Gallia ſub Ludovico Magno vidit. Cum voluptate politicis hiſce conſiliis vir πολιτικωτατος indulget, SCIPIO AMMIRALTUS in *Diſcorſi ſopra Tacito* L. XIII. *Diſc.* X., ubi quo modo mercium iter potuiſſet immutari, ſi omnes veterum recentiorumque conatus exoptato ſucceſſu eſſent gaviſi, docet. Digna ſunt verba, quae hic legantur. „ Jo ho ſenti„ to dire da coloro, i quali han pratica in Perſia, che non ſarebbe foſſa „ mag-

fines, aut ipſorum rationem mutandam rem ſpectaſſe videbimus.

Jam his tantis mortalium auſis ſic ſatis frequenter ſucceſſus reſpondit. Audaces enim fortuna juvit. Id quo tempore, quo loco, quo modo acciderit, qua ratione contra ſpes hominum nonnunquam fuerit fruſtrata, ſuccincte docebimus, a Gallia facturi initium, inde in Graeciam progreſſuri, ex qua dein in Aſiam & Africam dabitur tranſitus.

Caeterum in determinando foſſarum noſtrarum locorumque, quibus adſtructae ſunt, ſitu non eorum modo, qui priſcum orbem nobis ejuſque fata & magnorum virorum itinera deſcripta reliquere, fides ſequenda erit, ſed vel maxime etiam tabularum, quibus regiones depictae ſiſtuntur, inſpicienda facies. Tulere aetatem & *Theodoſiana tabula* (*b*) & AGATHODAEMONIS ex quinto ſaeculo Geographi & Mechanici Alexandrini mappae, ad PTOLEMAEI opus accommodatae;

„ maggiore di quella dell' Arari alla Moſella, il congiugner la Miana fiume,
„ che entra nel mar Caſpio, col Tirtiri, che sbocca nel ſeno di Perſia;
„ nel qual modo ſi potrebbero condur le merci, non che di levante,
„ ma dell' Indie in ponente, e ſpecialmente in Provenza, con toccar po-
„ chiſſimo mare; poiche dal Rodano nell' Arari, dell' Arari per foſſa nel
„ Reno, dal Reno per foſſa nel Danubio, dal Danubio nel mar mag-
„ giore, dal mar maggiore in quello del Zabache, da eſſo nel Tanai,
„ dal Tanai per breviſſima foſſa nella Volga, dalla Volga nel mar Caſpio,
„ dal Caſpio nella Miana, dalla Miana per foſſa nel Tirtiri e quindi fi-
„ nalmente nel mar Perſico ci conduremmo.

(*b*) Qui hanc tabulam, qualis in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi aſſervatur, ex V ſaeculo ſupereſſe exiſtimant, cujus omnino orbis ſitum depingit, ii nec ad litteras Gothicas nec ad imagines illis, quas medium aevum in numis & ſigillis offert, ſimiles attendiſſe videntur.

quas ſaeculo XV, poſt prima ſtatim typographicae artis initia, aliquoties excuſas (c) ſequentibus etiam repetiere

(c) In recenſendis PTOLEMAEI *Coſmographiae* editionibus pro more ſuo perquam ſedulus eſt JOH. ALB. FABRICIUS *Bibl. Graecae* T. III. p. 413. Variæ tamen diligentiam viri quum effugerint, quas in Bibliotheca noſtra Academica aſſervamus, operae pretium facturos nos putavimus, ſi paucis eas huc poneremus. Prodiere autem

1) *Bononiae* apud *Dominicum de Lapis* a. 1462. Fol. maj. cum tabulis Geographicis. Haec antiquiſſima editio eſt, ni forſan error in numeris; denarius enim numerus abeſſe poſſet, quod & alibi obſervare datur. Neque character prima artis initia ſapit. Eo autem magis adducor, ut iſtum librum anno 1472 vindicem, quod reliqui, qui e prelo Dominici prodiere, annum 1476 & 1477 prae ſe ferant; quod apud ORLANDI *Origine de' progreſſi della ſtampa* p. 111. videre licet, qui de cetero hanc editionem noſtram aeque ac MAITTAIRIUS prorſus ignorat.

2) *Vicentiae* interprete JACOBO ANGELO apud *Hermannum Levilapidem Colonienſem* 1475 fol. min. abſque Tabulis Geograph.

3) *Ulmae* apud *Leonhardum Hol* 1482 fol. maj. cum tabulis Geograph. egregie pictis, accedit *Donni Nicolai Germani opus ſecundum Ptolomeum* fol. Efficit ex hujus Geographi nomine memorato nomen *Nicolai Donis* VOSSIUS *de ſcientiis Math.* p. 413. cui adſtipulantur FABRICIUS l. c. ORLANDI p. 157 & 393 & MAITTAIRE in *Annalibus Typographicis* T. I. p. 167. Verum in errorem omnes VOSSIUS induxit. *Nicolaus* enim pro more ſaeculi totum viri nomen eſt, cui praemittitur honoris ergo *Donnus* pro *Dominus* & ſubjungitur nationis, e qua fuerat oriundus, mentio. Atque ſic ſeſe rem habere prorſus, verba, quae in calce L. VIII. leguntur, oſtendunt: *Claudii Ptolomei viri Allexandrini coſmographie octavus & ultimus liber explicit. Opus Domini Nicolai Germani ſecundum Ptolomeum finit. Hinc ſequuntur Tabule.* Poſt tabulas dein toti operi haec ſubjecta ſunt: *Claudii Ptolomei* &c. ut antea. *Opus Donni Nicolai Germani ſecundum Ptolomeum finit Anno MCCCCLXXXII. Auguſti vero Kalendas XVII. Impreſſum Ulme per ingenioſum virum Leonardum Hol prefati oppidi civis* (ſic). Haec editio ceterum MAITTAIRIO nunquam viſa eſt, qui etiam *utrum typis editus ſit liber, ambigit* l. c. n. (c). Idem p. 198. in alium errorem cum *Orlandio* p. 157. incidit, quem ex noſtro exemplari emendare licet. Refert enim *Ptolomei Geographiam Latine, Nicolao Donis Germano Interprete: per Johannem Reger.* fol. & in nota (e) addit, & recte quidem, *Impreſſum Ulme opera & expenſis Juſti de Albano de Venetiis per proviſorem ſuum Johannem Reger. Anno Domini MCCCCLXXXVI. XII.*

petiere inter alios BILIB. PIRCKHEIMERUS (*d*) GERH. MERCATOR (*e*) P. BERTIUS (*f*) & WETSTENII (*g*). Verum iſtae in multis non tam veritati indagandae quam noſcendae PTOLEMAEI ſententiae inſerviunt. Quam enim pro longitudinis ratione inter loca diſtantiam ponit, ea ſaepe pro lubitu aſſumta deprehenditur. Neque latitudo rectius apud ipſum eſt expreſſa (*h*); quod eo tempore factum, quo in incunabulis quaſi ſuis adhuc orbis deſcriptio fuit, mirum nemini videbitur. Poſtremis etiam hiſce ſaeculis, quibus clarior lux geographiae ſtudio accenſa eſt, ABRAH. ORTELII, PHIL. CLUVERII, JOH. JANSONII, PHIL. BRIETII aliorumque in his litteris verſatiſſimorum ceteroquin virorum opera parum in adcuratiſſimo locorum definiendo ſitu eſt effectum; adeo pro ſuo quiſque ingenio aut Ptolemaïcam dimenſionem ſuam facit, aut longitudinis latitudiniſque pomoeria nunc profert nunc contrahit, & in terminanda regionum ora abſque certa ratione procedit. Interim tamen horum quiſque a primo, quem elegit, meridiano diſtantiam locorum numeris notavit, ut ſic rectius, quae animo ſederit opinio, perſpici a lectoribus queat. Crederes, praeſtantiorem operam vel

XII. Kalendas Auguſti. Scilicet opus a Regero impreſſum non ipſa eſt Ptolemaei Coſmographia, ſed *tractatus* anonymus iſti annexus, *de tribus orbis partibus, de variis naturis hominum, portentorum transformatorum. Nec non de diverſis fluminibus aquarum. Inſularum & montium.* 4) *Argentinae* apud *Joh. Schottum* 1513. fol. maj. cum tabulis pictis.

(*d*) Ex ſua ſcilicet nova verſione. Eam editionem citat FABRICIUS l. c.

(*e*) *Colon.* 1584. fol.

(*f*) *Amſtel.* ex officina Jud. Hondii 1618.

(*g*) *Amſtel.* 1730. fol.

(*h*) Exempla paſſim obvia. Menda PTOLEMAEI recentiores Geographi certatim notarunt. Paucis multa complexus eſt SALMASIUS *ad Solinum* p. 1186.

in CHRISTOPH. CELLARII *orbe antiquo* (*i*), opere alias praeſtantiſſimo, vel in JOH. DAV. KOEHLERI *Atlante* (*k*) adhibitam reperiri (*l*). Verum enim vero has etiam tabulas ſi examines, eodem in mendo cubare deprehendes. Quin imo in eo deterior eſt harum, quam priorum, conditio, quod fere ubivis longitudo adjecta deſideretur; quod tamen ab iis, qui SANSONIORUM poterant obſervatis & emendationibus uti, fieri non debuiſſet. Imo & latitudinis ratio nonnunquam vacillat. Sed manum de tabula. Vana eſt omnis de exacto locorum antiquorum ſitu diſquiſitio, niſi hodiernam faciem orbis, recentiſſimo Geographorum praeſertim ſtudio poſt innumeras obſervationes ſollicite delineatam atque depictam, fundamenti loco poſueris. Haec itaque gloria maxime Gallis, patri NICOLAO, filiis WILHELMO & HADRIANO SANSONIIS (*m*), potiſſimum autem WILHELMO

(*i*) Prodiit recens editio cum annotationibus JOH. CONR. SCHWARZII Lipſ. 1731. T. II. 4to.

(*k*) Prodiit Norimb. fol.

(*l*) Patet id vel ex tabulis infra adjectis, quibus haec rei documenta addere lubet, ex collatis diverſis ſingulorum mappis deſumta. KOEHLERUS Tab. XXXIV. Eulaei fluvii oſtium gr. lat. 30. contra Tab. XXXVI. gr. lat. 27. locat. Idem Tab. XXXIV. oſtio Tigridis, quem Paſitigrim dicit, opponit grandem inſulam eamque ſolam Meſenen, ſimili modo Tab. ſequenti, licet aliam inſulae figuram det, contra Tab. XXXVI. ea inſula prorſus deſideratur, ejuſque loco aliqua ab ipſo oſtio diſtantia inſularum minorum longa ſeries, quarum in praecedentibus Tabulis nec vola nec veſtigium, apparet. Porro lacus Euphrateos infra Babylonem tribus hic chartis triplici modo repraeſentat. CELLARIUS ad p. 60. Tigridis oſtium gr. lat. 30. ad pag. 675. gr. 29. ponit, ejuſque fluvii in mare exituri diverſum curſum flexumque, licet in eodem tabularum ſitu, depingit.

(*m*) Collegit Tabulas iſtorum JOH. CLERICUS & ſub titulo *Atlantis antiqui ſacri eccleſiaſtici & profani* emiſit Amſtel. a 1705. fol. apud *Joh. Covens & Corn. Mortier.*

MO DE L'ISLIO (*n*), celeberrimoque, cujus recentia fata muſae dolent, D'ANVILLIO (*o*) relicta fuit, ut vagantia & huc illuc errantia Geographorum conamina tandem figere inciperent & pro incertis certiora nobis traderent. Id ut fieri poſſet, prius praeſens terrarum ſitus & facies definienda fuit, adhibitis ubique Geographicae menſurae notis & numeris. Dein intra eoſdem regionum terminos, marium oras & fluviorum decurſus, loca priſcis memorata ſaeculis, quantum fieri potuit, apte locare convenit. Cui rei illud maxime inſerviit, quod multa ex iſtis oppida hodieque vel integra ſuperſunt, vel ſua ſaltem rudera, fragilitatis rerum humanarum luculenta teſtimonia, monſtrant. Hanc itaque viam poſt reliquos ingreſſus laudatus D'ANVILLIUS tabulas nobis concinnavit, quibus antiqui orbis facies cum recentioris ratione egregie congruit, quarum uſu hodie harum litterarum cultoribus carere nefas.

(*n*) *Atlas de Guillaume de l'Isle* a Amſterd. chez *J. Covens* & *Corn. Mortier* 1733. fol.

(*o*) Praeter tabulas ejus varios commentarios infra ſuo loco excitabimus.

I. FOSSAE EUROPAEAE

§. I.

IN Europa itaque diverſiſſimis locis ſuſceptus foſſarum ducendarum labor; ad fluvios Rhenum, Salam, Moſam, Rhodanum, Moſellam, Ararim, iſthmos item Corinthium & Athoum.

Et Rhenus quidem cum Sala & Moſa undas commiſcere edoctus eſt olim, parumque abfuit, quin cum Arare & hujus ope cum Rhodano quoque iniret connubium. *Foſſas* hic *Druſianam*, *Corbulonis*, *L. Veteris* loquor. Quam enim *Cl. Civili* adſcribunt multi foſſam, abactio potius Rheni quam novus ejus alveus fuit.

§. II.

Foſſa Druſiana inter Rhenum & Salam & Civilis abactio Rheni, quae forſan Lecca.

Druſus Nero Claudii Caeſaris pater, quum Auguſto regnante, M. Val. Meſſalla Barbato Aemiliano P. Sulpicio Quirino Cs. (1) undecimo ante aeram Chriſtianam anno, Praeturae honore condecoratus Germanicum in Belgio bellum adminiſtraret, exercitumque breviori via in hoſtes Friſios atque Chaucos deducere cuperet, (2) aperiendi ex Rheno in Oceanum tranſitus cepit conſilium. Scilicet, Rhenus olim, orſus ut

(1) In ultimum vel penultimum annum Druſi eam rem non licet rejicere, quia poſt Praeturam in Conſulatu iteraſſe expeditionem ſcribitur, in qua obiit. SUETON. Claud. c. I. Nihil nos turbat BUCHERIUS, qui *de Belgio* L. I. c. XVI. rem omnem ad octavum annum ante Chriſti nativitatem refert; is enim Chriſtum A. U. 749 Caeſare Octaviano Auguſto XII. & Cornelio Sylla Coſ. natum ſtatuit, cf. BUCHER. l. c. L. II. ab initio.

(2) DIO L. LIV.

ut notum, e Lepontiis Raetis, peragratisque quas nemo non novit terris, ubi Batavum agrum attingebat, in sinistram versus partito itinere, qua ad Galliam affluebat, Vahalis accepto nomine, qua priscam spectabat Germaniam pristina appellatione retenta, undas suas in mare devolvebat (3). Ab inferioris alvei regione illa, quam paulo supra Arenacum spectare datur, amnis e Germaniae finibus descendens, Salae, hodie Isalae illi nomen, octo circiter passuum millia distabat, cui in Germanicum Oceanum per Flevum lacum, hodie Zuyder-See (4), natura pararat exitum. Hunc eundem proinde Rheno ut accommodaret, per spatium quod diximus VIII. M. P. quae nostro aevo 2 fere leugas francicas efficiunt, a vico, vel munimento olim, Iseloort (5), vel Malburgo (6), ut alii volunt, ad oppidum Doesburg, quod Drusoburgum (7) nonnullis recentiorum appellare visum, militum manibus fossam struxit, sicque Rhenum in Salam effudit.

Verum hujus fossae situm inter gr. long. 23, 38′ & 23, 45′; lat. 52, 1′ & 52, 7′ locat D'ANVILLIUS ita, ut non recta linea ab occasu ad ortum procedat, sed per varios flexus oblique a meridie versus boream descendat. Parum ab hac mensura abludunt alii: & in latitudine quidem, PTOLEMAEI aeque ac recentiores Batavorum tabulae sic satis consentiunt, minutissima enim discrimina attendere non licet; longitudo contra apud

(3) CAESAR *de B. Gall.* L. IV. c. 10. POMP. MELA L. III. c. 2.

(4) Hunc lacum per fossam Drusi maximo aquarum affluxu ditatum ab eo tempore multo quam ante factum esse latiorem, sententia est Geographorum, vero haud absimilis. v. BÜSCHING *Erdbeschreib.* T. IV. p. 6. D'ANVILLE *Géographie ancienne abrégée* T. I. p. 93. Lacui *Flevo* nuncupato adstructum est & munimentum nomine eodem insignitum. Nominis Flevi memoriam insula Vlielandia & alveus Vlie inter Breelandiam & Frisiam provinciam hodieque servat.

(5) CLUVER. *in Comm. de tribus Rheni alveis & ostiis* c. XXV. item *ad Tacit. Ann.* II. 8. & *in Germ. Vet.* L. III. c. 17. TORRENTIUS *ad Sueton. Claud.* c. I. (6) ORTELIUS in *Lex. Geogr.* v. *Fossa Drusiana.*

(7) BLAEU *descript. des villes des païs bas.* P. II. ORTELIUS l. c. LIPSIUS *ad Tacit.* XIII. 53. Verum Drusi castra & moles cis Rhenum fuere.

ALLARTIUM, VISCHERUM, DANCKERTIUM, alios, pro ratione primi meridiani, quem quisque statuit, minus conspirat; ut ex collatione infra instituenda cuivis apparebit. Ptolemaei tabulae hic parum fidei merentur (8).

Novus is alveus (9) peculiari exin nomine ab accolis salutatus *Nabaliae*, quasi posterioris Vahalis, putatur a nonnullis (10), qui & Navalia, oppidum a PTOLEMAEO ad Salam sive Orientalem Rheni alveum locatum, eodem trahunt Verum enim vero, ut est incerta haec de Nabalia TACITO (11), semel memorata, opinio, neque magis constat, urbemne an nauticam stationem Navalia PTOLEMAEI designent, ita, ut verum fatear, minus mihi fit verosimile, fossae descriptae nomen posterioris Vahalis inditum esse, cum sic longe satis ab ipso Vahale distet, neque tam hujus, quam Rheni potius aut Isalae quaedam quasi continuatio sit; unde ad rem ipsam accommodatius recentiori aevo *nova Isala* appellata est.

Neque vero finem suum sic attigisset Drusus, ni & molem fossae adjecisset, & ipsius Salae alveum recipiendo Rheno aptum reddidisset. Quidquid ergo Salae infra fossam fuit, id omne latius multo effecit, hinc inde etiam de novo effodit (12), unde haud ita male SUETONIUS fossas Drusianas, quasi plures fuerint, vocat, immensumque opus appellat. Quid, quod ipsi TACITO (13) fossae dicantur.

Ad molem quod spectat, ea, quantum equidem puto, fossae suae adstruenda nullo modo supersedere potuit Drusus. Erat

(8) v. Tab. nostra I.

(9) Ita revera dicendus; hodie saltem non canalis, sed justi alvei formam habet. PTOLEMAEUS etiam nulla mentione Isalae facta, tria Rheno ostia occidentale, medium & orientale tribuit, quos locat, ut Tab. I. infra adjecta ostendit. cf. & PLINIUS *Hist. Nat.* L. IV. c. 15.

(10) CLUVER. l. c. L. III. c. 17. MENSO ALTINGIUS *notit. Bataviae* p. 100.

(11) *Hist.* L. V. c. 26.

(12) BUCHERIUS in *Belgio* L. I. c. XVI. Veteris Salae ductus & ostium veteri nomine *Tesselstroom* & *Tesselgat* hodieque dignoscitur. v. MENSO ALTINGIUS *notit. Batav.* p. 116.

(13) *Annal.* L. XI. c. 18.

Erat enim Rheni in laevam partem rapidiſſime ruentis frangendus impetus, undaeque ejus ſic dividendae, ut foſſae ſuae earum partem inferret. Falluntur oppido, qui iſtam molem in dextro Rheni latere collocant, ipſumque Doesburgum intelligendum cenſent Rectius totam ſiniſtram Druſianae foſſae oram a Sala ad Rhenum texiſſe & inde ad Vahalim proceſſiſſe videtur. Supra Vahalim ad ipſum angulum adſtructam fuiſſe, J. J. PONTANI (14) ſententia eſt. PHIL. CLUVERIUS (15), ut ex Cl. Civilis foſſa, quam putat, Leccam exſculpat, ad Duroſtadium, (Wick de Duerſtede) paulo ſupra Ultrajectum in laeva Rheni ripa molem a Druſo excitatam ſtatuit Contra MENSO ALTINGIUS (16) eam a Grinnibus ad Levaefanum ductam arbitratur, quo loco amnis in Galliam pronus humileſque campi hodieque deprehenduntur. Ceterum hanc molem, quam quiſque intelligit, eandem cum eo aggere putant fuiſſe (17), quem coërcendo Rheno inchoatum a Druſo, perfectum annis LXVI poſt, Nerone III. & M. Val. Meſſalla Coſſ a *Paullino Pompejo*, inferioris exercitus legato, TACITUS (18) narrat. Forſan rem acu tangeret, ſiquis iſta Druſi opera diſtingueret, aliamque molem foſſae appoſitam & alium aggerem modo memoratum ſtatueret (19).

(14) *Diſcept. Chorograph.* p. 35. ſq.
(15) *Germ. Ant.* L. II. c. 31. ſic & alii v. BUCHER. de *Belgio* L. V. c. 5. §. 2. p. 163. TILLEMONT. in *Nerone* art. VII.
(16) *Notit. Batav.* p. 54. cf. ipſius Tab. IV. (17) Idem fuiſſe opus, LIPSIUM ſi excipias, qui ſubdubitat, omnes arbitrantur.
(18) *Annal.* L. XIII. c. 53. legitur autem hic a. 63. poſt mortem Druſi rem accidiſſe; unde, quum Druſus obiit A. U. 745, id incideret in A. U. 808 C. 56 vel 55, qui conſulatui, cui rem geſtam adſcribit TACITUS, biennio vel triennio prior eſt. Hunc nodum ut ſolvat TILLEMONTIUS in *Nerone* Art. VII, per plures annos copiis in Germania & Gallia praefuiſſe Paullinum Pompejum & L. Veterem ſtatuit, ſic ut is jam A. U. C. 808 rem perfecerit. Verum ſatius exiſtimamus, cum CLUVERIO errorem apud Tacitum agnoſcere, & a. 63 in 66 mutare, quo facto omnia conſpirant amice & agger anno Ch. 58 iis, quos refert Tacitus, Conſulibus vindicatur.
(19) Eſt & alia Druſi moles, ſepulcrale ſcil. ipſius monumentum, quod prope Moguntiam hodieque viſitur.

Pendet a diverſo loco, huic moli aſſignato, diverſa de *Cl. Civilis* Batavorum principis opere ſententia. Is nimirum, cum Romanos ſub Veſpaſiani imperio inſula ſua arcere laboraret, Druſianam molem diruiſſe, Rhenumque, disjectis quae eum morabantur, prono alveo in Galliam effudiſſe fertur. Quo facto, velut abacto amne, tenuis alveus inſulam inter Batavorum Germanoſque continentium terrarum ſpeciem fecerit (20). Itaque PONTANUS (21) amnis ſic abacti locum in Vahalis flexu & angulo, CLUVERIUS (22) in Leccae alveo quaerit; is Druſi foſſam, hic Rheni medium, qui ea aetate dicebatur, alveum extenuatum credit. Quadrat ſic ſatis utraque interpretatio ad laudata Taciti verba. Quod enim non novo ſed prono alveo effuſus Rhenus dicatur, neque pacis tempore ſed medio flagrante bello, hoſte quaſi adſtante & obverſante ob oculos, repentino opere, rem geſtam PONTANUS urget, id omne tanti non eſt, quanti prima fronte videtur. Non enim Leccae alveum tum primum effodiſſe, ſed in eum Rheni undas effudiſſe Civilis credendus eſt. Congruit etiam egregie cum hac expoſitione Cluverii & Altingii, quod Rhenum medio ore modicum nomini ſuo cuſtodire alveum refert PLINIUS. Verum ne ſic quidem res tota ſatis eſt in apricum deducta, etſi nullum prorſus dubium ſententiae hujus patronis ſupereſſe videatur. Qui enim haec amnis abactio Galliam magis, quam ipſam Batavorum inſulam inundavit? At in Galliam tamen effuſum amnem ſcribit TACITUS. Dein rectene hac aetate medius Rhenus Galliam a Germania dicatur diſcernere, quaeri poſſet (23). Haec PONTANO favent (24). Equi-

(20) TACITUS *Hiſt.* L. V. c. 19.
(21) l. c. p. 37. cf. Ej. *nova ſylloge diſcept. Chorogr.* p. 50.
(22) *Germ. Ant.* L. II. c. XXXI. p. 149. cf. & Ej. *Tab. Geogr. Germ. Ant. & Batav.* Item Ej. *Geograph. Ant.* Adſtipulatur Cluverio HARDUINUS ad PLINII *H. N.* L. IV. c. XV. (XXIX.) & ALTING. l. c. p. 55.
(23) Aſſerit quidem CLUVERIUS & inde magnum ſententiae ſuae robur accedere ſtatuit, verum vide, quid contra moneat PONTANUS *Diſcept. Chorograph.* p. 32. & *novae Sylloges* p. 74.
(24) v. CELLARII *notit. O. A.* T. I. p. 212.

Equidem rem totam meo judicatam arbitrio nolim; in medio proinde relinquam.

Sed ad Druſianam revertamur foſſam. Inſerviit illa frequenter & primo quidem ipſi Druſo devehendo militi & commeatui. Inter alios etiam Germanicus Caeſar cum claſſe mille navium ea navigatione ſecunda eſt uſus (25). Pellucent ſic ſatis commoda hujus Druſiani operis, ut non videam, quid in mentem venerit HADR. JUNIO (26), qui duas alias effodiendi alvei rationes excogitavit, quarum priorem dum reprobat, Andabatarum more pugnat, poſteriorem gratis laudat. Scilicet, ſtatim objectu novi alvei potuiſſe id intendere Druſum fingit, ut hoſtilem furorem excluderet, quod ficulnum auxilium fuiſſe futurum pronunciat. Dein id forſan ſpectaſſe Druſum autumat, ut paluſtri regioni & humili ſemper in ſtagni modum natanti, laborantique a gurgite & inundatione Rheni conſuleret, & mederetur, atque, ſiquidem revera ad hoc reſpexerit Druſus, tum demum dignum eſſe pronunciat, qui in Olympia ſtaret aureus. Verum, dicam quod ſentio, operam ludere hic JUNIUS videtur. Finis, quem ſibi propoſuit Druſus quemque obtinuit, patet abunde & extra dubitationis aleam poſitus eſt.

Quae ſic hactenus de Druſi foſſa expoſuimus, ita ſunt comparata, ut omnium fere aſſenſu comprobentur, niſi quod IS. CASAUBONO (27) minus arrideant. De mole contra Druſi, quod retulimus, ſententiarum divortium ſat atrox Geographos inter bellum peperit.

§. III.

Foſſa Corbulonis ex Rheno in Moſam.

Neque leniori animorum motu de definienda *Corbulonis* foſſa decertarunt laudati duumviri PONTANUS (1) atque CLUVE-

(25) TACITUS *Annal.* L. II. c. 6-8.
(26) *Hiſtoria Batav.* c. VIII. (27) ad SUETONII *Claud.* c. 1.
(1) *Diſceptat. Chorograph.* p. 40. & *nova Sylloge diſcept. Chorograph.* p. 58.

RIUS (2). Crederes, ſalutem periclitari utriuſque, adeo quaſi pro aris & focis pro ſua quiſque opinione depugnat. Anceps ceteroquin lis eſt, neque compoſitu facilis, DIONIS (3) TACITIque (4) verbis utrique, quod putant, patrocinantibus. Hi enim *Cn. Domitium Corbulonem*, Claudii Caeſaris in inferiori Germania legatum, ut miles haberet, quo pacis taedia pelleret, foſſam ex Rheno in Moſam (5) deduxiſſe referunt, quam alter, DIO ſcil. CLXX. ſtadia, quae ad XXI. P. M. accedunt, alter, TACITUS, XXIII. M P. longam fuiſſe tradit; ſat levi diſcrimine. Rationem adjiciunt, *ut incerta Oceani vetarentur*, ſive *ne memorati fluvii aeſtuante oceano refluentes reſtagnarent.*

Duas itaque foſſas in Belgio invenere interpretes, quibus deſcriptionem laudatam Corbulonis foſſae convenire perhibent. ABR. ORTELIUS (6) ſcilicet non ovum ovo quam eam foſſam Leccae ſimilius eſſe arbitratur, quam ſententiam defendendam in ſe ſumſit PONTANUS Contra CLUVERIUS, quem longus Geographorum ordo, in his CELLARIUS (7), KOEHLERUS (8), ALTINGIUS (9), BUCHERIUS (10) ſequitur, eam ab urbe Leida ſ. Lugduno Delftum delatam indeque in Moſae fluenta derivatam putat.

Videtur autem hujus opinionis potior ratio. Statim enim ea foſſa Rhenum inter & Moſam comparet, quum Lecca potius a Rheno in Vahalim abeat Dein ſpatium licet non prorſus congruat, ſi recta linea ducatur, haec enim non niſi XVIII. M. P. complet, per varios tamen anfractus foſſae facile effici ſtadio-

---

(2) *Comment. de tribus Rheni alveis & oſtiis* cap. VI. *It. German. Ant.* L. II. c. XXXI. (3) L. LX. p. 685. (788.) (4) *Annal.* L. XI. c. 20.
(5) Recentiori aevo, anno ſcilicet 1627, Hiſpani ſub auſpiciis ISABELLAE CLARAE EUGENIAE, Infantis Hiſpaniarum, quae Belgio tum praeerat, ducta a Rhenoberga per Geldriam ad Venloum foſſa, Rhenum cum Moſa conjungere niſi ſunt. Iſti canali a *B. Virgine* itemque *Eugenianae* nomen tributum. Scite illum GUIL. JANSONIUS peculiari tabula depictum dedit. Ceterum aevum ferre haud potuit. (6) *Lex Geogr.* v. *foſſa Corbulonis.*
(7) *notit. O. A.* T. I. p. 212. (8) *Atlant. O. A.* T. VI.
(9) *notit. Batav.* p. 47. (10) *de Belgio* L. IV. c. II. §. 13. p. 148.

ſtadiorum is numerus potuit, quem DIO definit. Porro ſcopus videtur rectius obtineri potuiſſe in loco, qui oceano propior eſſet. Etiamſi enim nulli dubitemus, quin aeſtus magna etiam circa Leccam damna dederit (11), neque eorum putemus prorſus deferendum opinioni, qui Leccae originem ad A. C. 860 vel medium ſaec. XIII. referunt (12), verba tamen veterum auctorum locum mari proximum deſignare nobis videntur. Itaque ſic rem concipimus. Omnis ille tractus orae, qui a Moſa deſcendit ad Rhenum, humili olim atque depreſſo ſolo fuit, aggeres enim frangendis fluctibus oppoſiti recentioris aevi ſunt procul dubio. Fieri proinde non potuit, quin aeſtuante mari undae frequenter altius in regionem penetrarent reſtagnarentque. Cui malo non rectius quam foſſa per tranſverſum ducta obviam ire licuit. Congruitque prorſus commode, quod in Tabula Theodoſiana Tablas inter & Forum Hadriani (13) hod. Alblas & Foorburg, *Fletio* notetur, quod nomen a fluxu derivandum hodieque ſupereſt ibidem loci, *de fliet* enim nuncupatur. Ceterum a recta ratione aberraret is, qui foſſam hodiernam in eodem fere loco reperiundam pro antiqua Corbulonis habere vellet. Dudum enim haec evanuit, niſi quod caput ſive initium operis adhuc ſupereſſe CLUVERIUS teſtetur, *antiquum Fletionem* (de oude Vliet) dictum, ſtadii fere ſpatio ab oppido Lugduno. Exiiſſe autem credit ALTINGIUS infra Moſae Vahaliſque confluentes e regione Geervliet. Ea contra foſſa, quae hodie Lugduno per urbem Delfenſem ad Moſaelandiae cataractas ducit, quamque ab initio intellexiſſe videtur CLUVERIUS, novi operis eſt, quod annalium fide aſſerit JUNIUS, comprobat ALTINGIUS (14).

§. IV.

---

(11) PONTANUS l. c. (12) HADR. JUNII *Batavia* c. VIII. cf. CORNELIUS AURELII L. I. *Bataviae* p. 94.

(13) Fori Hadriani nomen in milliari columna egregia ſeſe reperiſſe, ſunt, qui exiſtiment. Ea, in monaſterio Syon Delphos inter & Hagam duodecimo lapide a Foro Hadriani prope Moſae & Vahalis commune oſtium reperta, apud GRUTERUM in *Corp. Inſcr.* p. CLVI, emendatior apud ALTINGIUM *notit. Batav.* ad p. 66. repraeſentatur. (14) l. c. cf. Tab. IV.

§ IV.

Foſſa a L. Vetere tentata copulandis Moſellae & Arari.

Ut hos Druſi & Corbulonis labores laude ſua defraudare nolim, ita certe non poſſum, quin longe praeſtantiorem conatum praedicem *L. Veteris*, ſub Imp. Nerone militaris per Galliam praefecti, ſuperioris quippe Germaniae Praeſidis, quo Moſellam atque Ararim eademque opera internum mare & Germanicum, foſſa non procul ab utriuſque fluvii fontibus ducta, connectere ſtatuit (1). Incidit ea res in annum eundem, quo & Paullini Pompeji cura aggerem Druſi perfectum paulo ante (2) ſcripſimus, in annum ſcilicet Ch. 58. U. C. 811. Nerone III. & M. Val. Meſſalla Coſ. Profunda pace hoc tempore gaviſam Galliam, hinc pronum eſt concludere. Neque certum eſt, alibi bella Romanis tum geſta eſſe, Armeniam ſi excipias, in qua hoc anno recruduere. Sic ſatis pacifica ſane regiminis Neroniani initia fuere, ad quae non immerito nummum hujus Imperatoris referimus, quem egregie ſervatum noſtra etiam penus recondit. Ejus poſtica pars templum Jani clauſum repraeſentat, adſcriptis verbis: PACE P. R. UBIQUE PARTA JANUM CLUSIT. & in aliis: PACE P. R. TERRA MARIQUE PARTA JANUM CLUSIT. Id numiſma vulgo ad ipſum hunc A. C. 58. rejiciunt (3), quod quidem certius foret, ſi in epigraphe partis anticae annus TR. P. IV. vel V. COS. III. memoraretur. Itaque antiquior videri nummus poſſet. Contra ad Tiridatem Romam traductum refert SUETONIUS (*).

Quemnam terrae tractum canali deſtinarit L. Verus, definire non prorſus licet; decem circiter leugas ſive XXX. P. M. longum fuiſſe futurum, GUICCIARDINUS (†) putat. Per Vogeſum certe ducendus erat. Quidquid ſit, dici vix poteſt, quan-

(1) TACITUS *Annal.* L. XIII. c. 53. (2) §. II. (3) ut MEDIOBARBUS *NN. Imp. ad A. U.* 811. C. 58. (*) in *Nerone* c. 13. (†) *Deſcr. Belgii.*

quantum commodi ex eo ſapienti L. Veteris conſilio redundaſſet tum in Galliam tum in Romanos ejus dominos (4), quibus copias breviſſima via ex mari Tyrrheno per proximum Rhodani oſtium in extremam Rheni ripam licuiſſet devehere, ni Aelius Gracilis, Belgicae legatus, livida ductus invidia, rem omnem impediviſſet. Scilicet is verendum dictitans, ne, ſi in alienam provinciam legiones *L. Vetus* inferret, Galliarum ſtudia affectare Imperatori videretur, optimum virum deterruit (5). Luculento in poſteritatem exemplo, quanto ſaepe plus valeat improbi hominis malignitas, quam ſincerum boni viri optime de re publica merendi ſtudium.

Eadem cum L. Vetere aliquot ſaeculis poſt agitaſſe conſilia *Carolum M.* AMMIRALTUS (6) ſcribit, qui & foſſam CCC paſſus latam per tria paſſuum millia produxerit, rem vero partim locorum, per paludoſa enim foſſa tranſibat, iniquitate, partim ſuperſtitione aliqua motus, infectam reliquerit.

Verum humani quid hic paſſus videtur AMMIRALTUS, ad Ararim & Moſellam translato conamine Caroli, quod Rhenum cum Danubio jungendum reſpiciebat (7); ſed & in eo lepidus eſt laudatus auctor, quod hoc verum Imperatoris conamen ab eo, quod fingit, diſcernit, & labores duplicat & in menſura inſuper aberrat. Opera iſti ſimilia, feliciori etiam ſucceſſu gaviſa, duo recentiori aevo Gallia vidit & ſtupuit. Sequanam cum Ligeri *Henricus IV* & *Ludovicus XIII*, Oceanum cum Mediterraneo mari *Ludovicus M.* conjunxit.

§. V.

Foſſa C. Marii, ex Rhodano in mare mediterraneum.

Minoris momenti quidem, nec tamen praetereundus ſilentio eſt *C. Marii* labor, quem Cimbrico bello in expedien-

(4) SCIPIONE AMMIRATO *diſc. ſopra Tacito* l. c. (5) TACITUS l. c. (6) l. c. (7) v. EGINHARDI *Annales* ad a. 793. & *Poëta Saxo Annal.* L. III. apud DU CHESNE T. II. p. 247. & 157.

do Rhodani curſu poſuit (1). Is amnis, ubi ad Lugdunum ſocium itineris Ararim recepit, Viennamque Valentiam & Avenionem praeteriit, paulo ſupra Arelaten in duo brachia ſciſſus in mare deſcendit (2) Utrumque tamen horum prius in diverſas partes ſecedit, ſicque multiplici ore fluminis undas diſtribuit. Ad occidentem proinde ſolem Hiſpanienſis alveus tria oſtia offert. Princeps eodem nomine, ab aliis etiam, ut ſequens *Libycum*, dictum, tertium *Metapinum*. Haec hodie *grads d'eſpagne*, *grads neuf*, *grads d'Orgon*. Ad ortum *Maſſilioticus* rivus mari jam propinquus ex ſeſe aliud oſtium unum priſcis notatum, *gradum* (3) *Maſſilitanorum* dicebant, emittit, imo plura recentius aevum hiſce nominibus diſtinxit, *grads du midi*, *de Paulet*, *d'enfer*, *grads grant*, *grads de paſſon*, quorum tria poſtrema circa medium ſaeculi ſuperioris exaruere. Inter utrumque principem alveum ſita eſt terra, inſulae ſimilis, quam a fertilitate *Camargue* dictam perhibent. A ſiniſtro Maſſiliotici rivi latere lapideus celebratur campus,

(1) Alia etiam opera C. MARIO attribuunt iſtarum regionum incolae, ut viam vulgo dictam de Geay, per medium Maſtramelam lacum ſtructam; oſtia item duo memorati lacus, inter quae oppidum Martigues ſitu amoeniſſimo ſuperbit; de his & aliis v. HON. BOUCHE *hiſt. de Provence* p. 163.

(2) De Rhodani oſtiis priſci & recentiores varia prodidere memoriae v. HON. BOUCHE l. c. p. 25. Is etiam antiquam Provinciae faciem & hodiernam duabus tabulis depictam exhibet, quas qui contulerit, potiſſimum in Rhodani curſu, jam non amplius ejuſdem regionis ſed duarum toto coelo diverſarum mappas crediderit; adeo omnia ſunt diſſimilia. Incuriam hanc tantam tanti ceteroquin viri demirari equidem ſatis non poſſum.

(3) *Gradus* pontes dicti olim ad littus aut fluminum ripas conſtrati, ex quibus naves commodiore ingreſſu conſcenderentur ad navigandum. Exempla ejus rei dat H. SURITA in *Indice rerum Aragon.* L. I. ſub an. 080 & *ad Antonini Itinerar.* Tranſtulere dein maris accolae iſtam vocem ab eo ſignificatu ad quemvis maris anguſtum trajectum & meatum deſignandum. Ita hic accipitur & aliis permultis locis, quae DU CANGIUS in *Gloſſario med. & Inf. Latin.* cumulavit. Durat hodieque hoc ſenſu nomen *grads* & *grao* apud Gallos aeque ac Hiſpanos, cf. WESSELINGIUS ad *Itinerar. Antonini* p. 507. qui & apud Graecos ſimili ſenſu veniſſe vocem κλίμαξ oſtendit.

campus, cujus originem ad Herculem fabula refert (4), ei recentior aetas *Cravae*, *la Crau* appellationem impoſuit. Per illum ab Arelate urbe canalis deſcendit, recentioris ut videtur operae, qui aequam fere ubivis a Maſſiliotico alveo diſtantiam ſervat, hunc *le Galejon* nuncupant, a cujus portu *Maſtramela* lacus, *l'étang de Martigues* ou *de Berre* ſexta fere unius gradus parte diſſitus reperitur (5).

Jam, qua parte Marius amni de novo alveo proſpexerit, ſi quaeras, miram ſententiarum diſcrepantiam datur offendere. Nullum fere eſt ex memoratis oſtium, in quod non deducta Marii foſſa credatur; nullus Rhodani rivus, in quo non eam aliquis quaerat. Ita in *Hiſpanienſi* PTOLEMAEUS (6), SPONDANUS (7) item, aliique; in *Metapino* BARTELIUS (8) excitatus a BOUCHIO; in *Maſſiliotico* MONETUS (9), SALIANUS (10), LABBEUS (11). AMMIRALTUS (12) hic totus quantus alucinatur, qui foſſam cum *Camarga* confundit. HARDUINUS oſtia duo, quae Camargam includunt, pro foſſis Marii habet (*). Horum omnium opinio duplici ratione refellitur. Priorem finis ſuppeditat, Mario propoſitus; ſcilicet oſtia Rhodani maris refluxu magna vi limi oppleta, arenaque alto coeno a fluctibus adſtricta periculoſum, moroſum & anguſtum decurſum onerariis navibus reddiderant (13). Itaque pernicioſam hanc ferventis fluminis navigationem ſtructis foſſis temperaturus (14) Romanus dux grandem foſſam duxit & altam, quae magna navigia ferre poſſet, planumque & tranquillum ad mare oſtium haberet (15), quem uſum obliqua rectius quam recta praeſtitura erat. Dein auctores Geographi, Itineraria & Theodoſii tabula in alio ſitu

 definien-

(4) POMP MELA L. II. c. 5. PLINIUS *Hiſt. nat.* L. III. c. 4. HYGINUS *Aſtronom.* L. II. (5) BOUCHE l. c. p. 26.
(6) *Coſmogr.* L. II. c. 10. Interpretes Ptolemaei GERH. MERCATOREM & P. MONTANUM huc trahit BOUCHIUS, verum hi mentem Coſmographi in Tabulis ipſi accommodatis non poterant non exprimere.
(7) *Annal.* ad a. 1248. (8) *Hiſtoire Eccleſ. de la ville de Riez.*
(9) *Geographie de la Gaule* p. 266. (10) *Annal. Eccleſ.* ad a. 3952.
(11) *in Pharo Galliae antiquae* p. 207. (12) *Diſc. ſopra Tacito* l. ſupra c.
(13) PLUTARCH. in *vita Marii.* Op. T. I. p. 413. (14) SOLINUS *Polyh.* c. VIII.
(15) PLUTARCHUS l. c. (*) in *not.* & *Emend. ad Plinii l.* c.

definiendo amice conſentiunt. Cis Rhodani oſtia hemicyclis foſſam *mappa Peutingeriana* (16) indicat. Maſſiliam inter & Arelatum *Antonini Itinerarium* (17) *terreſtre*, alterum *maritimum* ante gradum Maſſilitanorum (18) locat. MELA (19) & PLINIUS (20) ultra Rhodani oſtia prope Maſtramelam in campo lapideo.

Verum ne ſic quidem res dubio omni eſt exemta. Cis Maſſilioticum enim triplex de novo locus foſſae laudatae aſſignatus eſt. MARTINIERIUS (21) canalem ipſum, quem *Galejon* vel ſecundum alios (22) *Galcias* dicunt, pro Marii opere habet, ſimulque praeter oppidum Fos ductum putat; SOLERIUS (23) canalem ex Rhodano in Maſtramelam lacum, hunc lacum ipſum & ex eo alium alveum ad mare abeuntem; BOUCHIUS (24) denique canalem oblique ex Rhodano infra Arelaten per campos lapideos ad oppidum Foſſam (Fos hodie) verſus Maſtramelam ductum exiſtimat, ſuaeque ſententiae patronum PHIL. CLUVERIUM (25) habet, ſimul id annotat, foſſam oppidum ab alveo ipſo Mariano in itinerariis diſtingui.

Ut poſtremam hanc ſententiam prioribus praeferendam cenſeamus, varia a nobis impetrant JUL. SOLERIUS ſuam ipſe deſeruit eo, quod Maſtramelam lacum undique tumulis & montibus cinctum agnoſcit, neque ulla in eo campo veſtigia ſuperſunt; qualia verſus Galejonem, ſit venia verbo priſcis ignoto, reperiuntur. MARTINIERIUS ſibi ipſe eſt contrarius, ubi oppidum Foſſam canali appoſitum fuiſſe declarat, quod, ſi canalis ſit ipſe Galejonius, ab Arelate per octo leugas Francicas ad portum ſuum deſcendens, nullo modo fieri potuiſſet. Nihil proinde reſtat, quam ut cum BOUCHIO & CLUVERIO ſentiamus. In foſſam enim oblique ex Rhodano per Cra-

(16) Ed. Vienn. Tab. II. (17) Ed. Weſſel. p. 299.
(18) Ed. Weſſel. p. 507. (19) L. II. c. 5. (20) *Hiſt. nat.* L. III. c. 4.
(21) *Dictionnaire Geogr.* voce *foſſe.*
(22) *Tabula Provinciae* a BOMPARIO a. 1591. emiſſa in lucem ita habet.
(23) in *Tabula Provinciae*, quae prodiit a. 1570. Suam hanc opinionem ex parte fecit CELLARIUS in notit. *Orb. Ant.* T. I. p. 138. & 187. cf. Tabula ipſius Galliae Narbon.
(24) l. c. p. 164. cf. Tab. Provinciae antiq. operi praemiſſa.
(25) *Ital. ant.* T. I. ad p. 46.

Cravam verſus Maſtramelam lacum deductam omnia prorſus ſigna conſpirant, quae PLINIUS & MELA potiſſimum ſubminiſtrant, Id optandum foret, ut adcuratiori ſtudio in tabula ſua Provinciae Geographica ductum uterque iſtorum demonſtraſſet; menſurae ſiquidem & ſpatia ad ea, quae in Itinerariis traduntur, minus quadrant. Praeclara e contrario laudatiſſimi eſt D'ANVILLII cura, qui in arctiori licet mappa omnia rectius longe repraeſentat, quod ex miro cnm Itinerariorum menſuris conſenſu demonſtratum dabimus.

Scilicet agnoſcit *Itinerarium Antonini terreſtre* inter Arelaten & Foſſas Marianas (oppidum) M. P. XXXIII. quae redeunt ad leugas hodiernas Francicas (26) $8\frac{1}{4}$. D'ANVILLIUS Arelaten ad gr. long. 22, 14′. lat. 43, 38′; Foſſae oppidi locum ad gr. long. 22, 25′. lat. 43, 27′ circiter locat. Linea oblique ducta minuta fere 19 vel 20 adeoque tertiam partem unius gradus habet. Aequipollet gradus ejus latitudinis leugis francicis 22. Adeoque memorata linea intervalli erit leugarum $7\frac{1}{3}$. Si quis autem objiciat, integrae fere leugae diſcrimen inter calculum Itinerarii & d'Anvillii intereſſe, cogitet, Itineraria viam exprimere, qualis per ambages & anfractus ducat; eam quam nos ponimus, per aërem ductam, breviſſimum iter reddere. - - Rurſus, foſſas inter & Calcariam M. P. XXXIV, hanc inter & Maſſiliam M. P. XIIII, ſi jungas, XLVIII interponit *Itiner.* Sunt hae francicae leugae 12. D'ANVILLIO Maſſilia gr. long. 23, 5′ lat. 43, 18′ ſita eſt. Linea oblique a foſſis ad Maſſiliam ducta minutorum eſt 29 vel 30, adeoque dimidii gradus, ſive 11 leugarum francicarum. Valet de diſcrimine emergente id quod modo allatum eſt. En calculum :

		L. fr. grad.	L fr.
Arelate — Foſſ. Mar. (opp.)	M. P. XXXIII =	$8\frac{1}{4}$	$(7\frac{1}{3})$
Foſſ. M. — Maſſiliam ——	M. P. XLVIII =	12	(11)

 Itine-

(26) In provinciis Galliae Auſtralibus leugam francicam cum 4 milliariis Romanis componendam eſſe, docet D'ANVILLE *Traité des Meſures Itineraires* p. 110.

Itinerarium porro *maritimum* a foſſis Arelatum longius iter ſed per ambages, per gradum ſcilicet Maſſilitanorum, nimirum M. P. XXXXVI. ſive leugas francicas $11\frac{1}{2}$ ſtatuit. Linea recta in D'ANVILLII Tabulis a foſſa ad gradum & inde Arelatum ducta habet minuta 27 vel 28, ſive leug. franc. $10\frac{1}{4}$. Demum a foſſis, ipſo ſcil. illarum exitu Maſſilia tenus maritima via M. P. XL. complet, quae leugas 10 efficiunt. Reſpondet linea hac ducta minutis 25, quae continent leug. franc. $9\frac{1}{6}$. Calculus ergo hic eſt:

		L fr.	minut.	L. fr.
Arelate — foſſ. Mar.	M. P. XXXXVI =	$11\frac{1}{2}$	28	$(10\frac{1}{4})$
foſſ. Mar. — Maſſil.	M. P. XL =	10	25	$(9\frac{1}{6})$

Intelligis, Lector amice, me foſſas oppidum & exitum foſſae diſtinguere. Suadent nimirum ſemi-circularis figura, quam *Theodoſiana Tabula* foſſis Marianis attribuit, PTOLEMAEI item & PLINII verba, qui ſimiliter foſſas non foſſam nuncupant, ut alvei a Rhodano derivati ſciſſionem admittam. In campo lapideo ea feceſſio facta eſſe debet ita, ut alter rivus prope gradum Maſſilitanorum, alter ad lacum Maſtramelam in mare exiret. Atque ſic etiam D'ANVILLIUS ſentire videtur, qui partito itinere in tabula Galliae antiquae prodire foſſam jubet.

Ceterum ducti hac, qua diximus, alvei ſuperſunt veſtigia ad ipſum Galejonium, licet obturatus Marii meatus ſit, indeque mortuum brachium, *le bras mort* audiat accolis (27).

§. VI.

Iſthmi Corinthiaci tentata perfoſſio.

Ad opus progredimur, quod, eventum ſi reſpicias, humanis viribus longe ſuperius videri poſſet, Aegaei cum Jonio mari tentatas ad Corinthum nuptias. Scilicet ſejungit utrumque mare anguſtum terrae collum, quod Lechaeum inter Cenchreaſque, ambos Corinthiae gentis portus, ſive quae hodierna facies inter Lepanti (Naupacti) & Engiae (Aeginae) ſinus,

(27) H. BOUCHE l. c.

ſinus, ſeſe per XL ſtadia vel V. M. P. porrigit (1). Hodie accolis *Hexamilium* dicitur (2); milliare enim, quo Graeci nunc utuntur, antiquo paulo eſt brevius (3); ad francicas leugas ſi reduxeris, duarum fere id ſpatium eſt. Imo ubi anguſtiſſimum eſſe deprehenditur, ibi non ultra 3460 paſſus Venetos ſive 3432 hexapodas Gallicas latum invenit CORONELLIUS (4). Sic fere per unam leugam Gallicam cum dimidia erit protenſum. Situm tabula noſtra I. dabit, ex qua, quantum a vero diſcedat PTOLEMAEUS, quantum etiam CELLARIUS, patet.

Ejus iſthmi exſcindendi ut mortales captarent conſilium, praeter innatum plurimis faſtum, quo nil ſibi arduum eſſe putant, id maxime fuit in cauſa, quod & expeditius & propinquius & tutius tandem iſtis in oris iter optarent (5) Circuitus enim circa Pelopis inſulam eſt 6020 ſtadiorum ſ. 752½ mill. Rom. Ejus etiam peninſulae orae naufragiis fuere infames, periculiſque plenum Maleae praeſertim promontorium. Neque porro moleſtiae parum is labor habebat, quo per ſchoenum trans colli anguſtias naves traduci ſolebant (*), quod hodie *haller à la cordelle* Gallis dici conſuevit.

Primus iſthmum perfodere *Periander* (6) cogitavit, circa Ol. 40 ſive A. M. 3386. Quid profecerit, incertum. Notior eſt *Poliorcetis Demetrii*, tertio poſt Periandrum ſaeculo, conatus, quem ERATOSTHENE teſte, mathematum gnari ea ratione a tanto conatu abſterruerunt, quod verendum foret, ne Jonium mare, Aegaeo quippe altius, Aeginam inſulam aliaſque Saronici ſinus obrueret (7). Ex Romanis idem agitarunt conſilium *Jul. Caeſar*, *Caligula*, *Nero*; opus, Graecorum

(1) STRABO L. VIII. p. 334. PLINIUS *H. N.* L. IV. 4.
(2) Ita D'ANVILLE *Analyſe de la carte de la Grece* p. 14. contra GEORG. WHELERUS *in Voy. de Dalmat. de Grece* &c. T. II. p. 531. vicum Corintho propinquum *Hexamillia* dici aſſerit, eo quod ibi ſex millia paſſuum collum iſthmi conficiat. (3) D'ANVILLE l. c. (4) *Deſcription de la Morée.*
(5) PHILOSTRATUS *vit. Apollon.* L. IV. c. 24. p. 162. & *de vitis Sophiſtarum* in *vita Herodis* p. 551. LUCIANUS Νέρων ἢ περὶ τῆς ὀρυχῆς τοῦ Ἰσθμοῦ. PLINIUS *H. N.* l. c. (6) DIOGENES LAERT. *de vitis Philoſ.* L. I. c. 7. n. 6.
(7) STRABO L. I. p. 54. (*) PLINIUS l. c.

rum vi quod perfici haud potuiſſet, ſua majeſtate digniſſimum rati. Verum intra votum fere ſtetit *Julius* (8). *Cajus* rem ipſam aggreſſurus primipilarem miſit, qui opus dimetiretur, nec proceſſit ultra (9). Magno tandem, ut ſolitus eſt, rem maximam molimine tentavit *Nero* (10). Is, quum alio licet conſilio in Graeciam progreſſus iſthmum conſpexiſſet, animum in eum effodiendum induxit. Praetorianos itaque milites pro concione adhortatus, ipſe quoque manum rei admovit; humo effoſſa aureo raſtello & humeris elata. Sed & captivos & maleficos & ex Judaea a Veſpaſiano ſibi ſubmiſſos Tarichaeatas ſexies mille, aliunde etiam arceſſitos populos adhibuit, ſic diſtributo opere, ut, quae plana eſſent & expeditiora, exercitum juberet effodere, quae petroſa & difficiliora, reliquos. Sicque quum rem ordinaſſet, abiit ipſe Corinthum, relictis qui rem dirigerent, quorum opera quoque perfectum eſt, ut ſtrenue per 75 dies (11) continuatus ſit labor. Jamque a portu Lechaeo per quatuor ſtadia, imo & ex altera parte, ſi fides CORONELLIO (12, aliquantum proceſſerat foſſa, quum repente rem inhibet Nero, ſive ab Aegyptiis Mathematicis eadem, qua Demetrius, ratione motus (13), ſive, quod magis veritati videtur conſentaneum, nunciata, quae auctore Vindice in urbe eſſet oborta, conjuratione Romam properare ſatius exiſtimans. Quae enim de ſanguine inter fodiendum ex terra proſiliente, deque gemitu & lugubribus vocibus auditis referunt ſpectriſque viſis, fabulis ſane accenſenda ipſe Nero contemſit. Fortaſſis & alia cauſa rei expe-

(8) DIO CASS L. XLIV. p. 242. SUETON. *Jul.* c. 44. PLUT. Op. T. I. p. 735.
(9) SUETON. CAJ. c. 21. PLIN. L. IV. c. 4.
(10) LUCIAN. l. c. SUET. *Ner.* c. 19. XIPHIL L. VI. JOSEPHUS *B. Jud.* L. III. c. 36. PHILOSTR. *vita Apollon.* l. c.
(11) Sic recte reſtitutus eſt corruptus Luciani locus.
(12) Is enim utrinque foſſae initium hodieque ſpectari auctor eſt, quod & in Moreae tabula Geogr. expreſſit. WHELERUS etiam locum vidit.
(13) Eam rationem ficulneam omnino jam STRABO judicavit L. I. p. 56. Aliam adjicit idem, ſcilicet timendum fuiſſe, ne iſthmus incaſſum perruptus fuerit, ob affluxum nimis rapidum.

expediendae obſtitit; adeo enim aſpera circa medium adeoque alta regio eſſe fertur, ut mirum non ſit, ſi imperfectum opus ſit relictum (14). Noſtro forſan aevo, quo pulveris pyrii ſtupenda vis in disjiciendis ſaxis tanta quotidie prodigia edit, res facilius ſuccederet.

Quidquid ſit, irritum hunc tantae molis conatum praeſagiiſſe APOLLONIUM ſuum TYANEUM, pro more gloriatur PHILOSTRATUS, perruptum iri & non iri perruptum iſthmum, ſeptem annis ante rem geſtam, effatum. Herculeum opus HERODES judicavit ATTICUS, *Sophiſta*, qui idem tentare, ſi quod unquam, habebat in votis (15).

§. VII.

Iſthmi Athoi perruptio.

Feliciori ſucceſſu gaviſa eſt ſuſcepta a Xerxe Perſarum rege Athoi iſthmi perruptio Macedoniae pars verſus Orientem protenſa, cui Chalcidices ab oppido principe nomen inhaeret, peninſulas tres in mare Aegaeum projicit, quarum prima Thermaïcum inter & Toronaïcum ſinum, media inter hunc & Singiticum, tertia inter Singiticum atque Strymonicum porrigitur (1). Iſta, verſus occaſum ſita, Pallene; illa in medio Sithonia quondam appellata eſt; haec poſtrema, ortum quae reſpicit, a praecelſo monte, quo ſuperbit, eſt appellata, Sancti hodie (2), olim *Athos* illi nomen, qui a planitie per LXXV. M. P. in mare excurrens caput inter nubila, radices ambitu CL. M. P. (3) in mari condit (4), quod procellis

(14) D'ANVILLE *Traité des Meſ. Itin.* p. 58.
(15) PHILOSTR. *vita Herod. Soph.* p. 551.
(1) STRABO *Geogr.* L. VII. p. 331. (510.)
(2) Ex inſigni numero templorum, quibus quaſi eſt obſitus; quemadmodum non fere niſi a viris ſacro cultui inſervientibus inhabitatur. v. JOH. COMNENI *deſcriptio montis Athos* in MONTEFALCONII *Palaeographia Graeca* p. 433. ſq. P. BELLONIUS *Obſervat.* L. I.
(3) PLINIUS *Hiſt. Nat.* L. IV. c. 17. (10.)
(4) POMPON. MELA L. II. c. 2. THUCYD. L. IV. p. 276.

cellis frequenter exaeſtuans, navigantibus ſaepe exitium attulit.

In Perſas etiam, navibus fractis, quum deſaeviiſſet olim (5), ejus furori ut obviam iret Xerxes, Graeciam ſub jugum miſſurus, ſimulque ut ipſius naturae quaſi dominum ſe ſiſteret, & evidens potentiae exemplum ederet, quo Graecorum animos prius, quam ſtringeret gladium, proſterneret (6), perrumpendi, qui a ſeptentrione Atho reliquae annecteret Macedoniae, iſthmi conſilium iniit, miſſis quoque, quo enim dementiae haud proceſſit Xerxes? ad Atho montem litteris, quibus id ipſi ſignificaret (7). Non faſtu vero ſolum, quod quidam arbitrantur (8), ſed evidenti commodo motum Xerxem negotium id ſuſcepiſſe, iis facile perſuadebitur, qui cogitaverint, navium per ſchoenum traducendarum artificium in tanta claſſe, bello plures annos duraturo, longe moleſtiſſimum fuiſſe futurum. Si quis porro objiciat, parum vel ſic effeciſſe Xerxem, quum ex Singitico ſinu dein non minus periculoſum iter navigiis ſuperfuerit, cogitato, tutiorem ſtationem & portus opportuniores in iſto ſinu dubio procul offendi, in quibus, furentibus Auſtris praecipitique Africo decertante Aquilonibus, ſudum opperiri ſerenamque tempeſtatem expectare tranquille poſſent.

Xerxes itaque copias impigre ad opus animo conceptum manus admovere jubet, rem dirigentibus Bubari Megabazi filio filioque Arbaei Artachaea (9), cujus, paulo poſt ibi defuncti (10), tumulus ad Strymonicum ſinum diu poſtea viſus (11). Iſtorum ducum cura diviſo inter varias, quae Regi militabant, gentes (12) opere triennii fere ſpatio confi-
citur

---

(5) HERODOT. L. VII. c. 21.
(6) DIODOR. SIC. L. XI. p. 243. HERODOT. L. VII. c. 24.
(7) Sic PLUTARCHUS narrat *de ira cohibenda Op.* T. II. p. 455. En litteras: Ἄθω δαιμόνιε ἀρανομήκη, μὴ ποιεῖν ἐμοῖς ἔργοις λίθας μεγαλας καὶ δυσκατεργάστας· εἰ δὲ μή, τεμὼν ἐίψω σεαυτὸν εἰς τὴν θάλασσαν.
(8) In his & HERODOT. l. c. c. 24. (9) ib. c. 21. (10) ib. c. 117.
(11) AELIAN. *Hiſt. anim.* L. XIII. 20.
(12) ib. c. 23. Inter eas gentes Phoenicum induſtria potiſſimum eminuit.

citur fossa, quae Dionem, Acrothoon, Olophyxum, Thyssum & Cleona oppida a continente abscinderet, duasque triremes commode transmitteret (13).

Hanc qui per medium Atho deductam statuunt, locis quibusdam veterum incautius loquentium (14) in re manifesta abutuntur. Adeo enim egregie totum negotium locumque describit HERODOTUS, adeo etiam ad faciem ejus regionis novissime depictam accommodate, ut nullus dubitem in ejus sententia prorsus acquiescere.

Respicit Strymonium sinum Acanthus oppidum (15), de cujus situ vide sis Tabulam II. calci subjectam; in ipso isthmo urbs medium fere spatium occupat Sane (16). Ab Acantho hanc versus profundus in collum Athoum sinus penetrat, quem plurimae Geographorum mappae ignorant, D'ANVILLIUS egregie exhibet. Efficit enim hic sinus, προσάυλαξ hodie dictus, ut angustissimum sit inter mare, utrinque alludens, spatium ad Sanen oppidum, ad quod fossa per rectam lineam ducta trigesimam sextam gradus unius partem habet; quae fere ad dimidiam Gallicam leugam redit. Atque mensura haec prorsus est eadem cum illa, quam HERODOTUS tradit, duodecim scilicet stadiorum, sive milliarii unius cum dimidio. Consentit etiam PLINIUS, qui fretum, quo montem abscidit Xerxes, M. D P. longum esse dicit. HERODOTI ergo coaevi sic salva fides, situ regionis potissimum hodieque quadrante. Quodsi quis tamen aliam praeferre sententiam velit, & fossam transversim ab Acantho ad oppidum Sanen deriva-

(13) HEROD. l.c. c. 22. & 24. SCYMNUS CHIUS v. 647. p. 37. De triremium forma hic multis differere nec vacat nec lubet. Manifesta sunt in nummis rei documenta.. v. saltem MONTEFALC. *Ant.* T. IV. p. 223.

(14) CATULLI scilicet in *coma Berenices.* AELIANI l. c.

(15) PLIN. *H. N.* L. IV. c. 17. MARCIANUS HERACL. p. 17. STRABO contra L. VII. p. 510. pro Strymonio sinu habet Singiticum; accidit forsan, ut Acanthus in angustissimo collo sita alterutri mari aeque propinqua fere esset

(16) HEROD. l. c. c. 22. Eodem etiam faciunt, quae habet THUCYDIDES L. IV, p. 276.

tam ſtatuere, is foſſae ſpatium duodecimae unius gradus partis aſſignare deberet, francicis duabus leugis reſponſurum. Verum nos a partibus Herodoti non divellimur.

Inſerviit deinceps Perſarum uſibus haec foſſa (17) & eo quo deſcripſimus loco inſerviit, etiamſi IS. VOSSIUS (18), in alia omnia eundum ſibi exiſtimaverit. Eo enim motus, quod STRABO (19), pro quo per memoriae lapſum HERODOTUM nominat, Acanthum ad ſinum Singiticum & Sanen in Pallenaea Cherſoneſo collocat, non Athois radices, ſed totam peninſulam, quam Toronaicus & Singiticus ſinus efficiunt, perfoſſam arbitratur, hancque ut opinionem ſtabiliat, ſtatim Toronaïcum & Strymonium ſinum majorem illam Athois peninſulam continuiſſe ſtatuit, quae alteram propriae ſic dictam comprehendat. Dein falſum putat, quod de 12 ſtadiis HERODOTUS ſcribit, longe plura enim huic iſthmo aſſignanda arbitratur.

Verum enim vero rationes iſtae, ut viri doctiſſimi ſententiae calculum meum adjiciam, a me haud impetrant. Pace enim ipſius dicam, temerarium videtur quicquam in dimenſione iſta immutare, quum toti, quam HERODOTUS (20) luculenter deſcribit, rei aptiſſime conveniat. Loquitur praeterea hic

---

(17) HERODOT. L. VII. c. 122. DIODOR. SICUL. L. XI. p. 405. SOLINUS *Polyh.* p. 103. c. 14. MELA l. c.

(18) *ad Melam* L. II. c. 2. (19) L. VII. p. 510.

(20) Inſigni per multos retro annos injuria affectus eſt hiſtoriarum pater HERODOTUS, cujus fidem, temere a quovis ſpretam, ita aſſertum ivit HENR. STEPHANUS libello in vulgus noto, *Apologie pour Herodote*, ut ex recentionibus populorum annalibus multa collecta exponeret, quae non minus ac ea, quae ſubinde is refert, ultra fidem humanam ſint viſa. Pronum eſſet alio & vel ſuperiori adhuc ſaeculo nemini exſpectato argumenti genere patrocinium optimi viri ſuſcipere. In deſcripto regionum ſitu inde a renatis litteris quivis pro lubitu Herodoto inſultare mendaciique ipſum coarguere auſus eſt. Accidit hoc inter alios IS. VOSSIO. Nolim equidem in me id inſumere, ut omnis erroris expertem Herodotum ſiſterem,

hic de iis, quae ſaeculo, quo vixit, in vulgus nota eſſe debebant. Et tandem immenſus labor eſſet quem ſupponit Voſſius, quocum menſura Plinii, & Herodoti minime congrueret

Ceterum parum nobis feciſſe videbimur, qui locum Perſicae in Atho foſſae demonſtraverimus, niſi eandem etiam adverſus eos defenderimus, qui rem omnem anilibus accenſendam fabulis ſtatuerunt, quos inter ex priſcis JUVENALIS (21) & AMMIANUS MARCELLINUS (22), ex recentioribus PETRUS praeſertim BELLONIUS (23), qui locum ipſum luſtravit, & TANAQ. FABER (24) nomina ſua profitentur. Et duplex quidem ratio eſt, quam prae ſe ferunt. Difficillimam enim rem putant, humana ope non efficiendam, nec ulla in loco ipſo foſſae indicia reperiri clamant. Verum opus e contrario longe facillimum fuiſſe teſtantur ii, qui & anguſtiam colli & ſoli ipſius naturam adcuratius habent perſpectam. De ſpatio ſupra dictum. Planam fere terram eſſe nec niſi raros & parum eminentes tumulos habere, HERODOTI (25) aeque ac recentiorum (26) fide novimus Dein mirum non eſſe arbitror, quod BELLONIUS poſt tot ſaeculorum decurſum foſſae ante duo fere annorum millia confectae nec volam nec veſtigium invenerit amplius. Novimus, quantum curae foſſa in plano du-

cta

ſiſterem, quis enim ſine vitiis? Interim tamen inter eos reponendus eſt, qui minimis, ſaltem paucioribus, quam vulgo putant, premitur. Hoc, quo clariores radios Geographicae artis lux ſpargit, eo manifeſtum magis evadit. Exemplum rei & hic iſthmus, in quo verſamur, dedit. Sed en alterum etiam. In determinandis ſchoeni ſtadiique Aegyptii menſuris peſſime erraſſe HERODOTUM, clamitant haud pauci. VOSSII querelas repetiit nuper WESSELINGIUS. Re adcuratius penſitata, omnia exactiſſime quadrare reperit D'ANVILLIUS, quem vide *in memoire ſur la meſure du ſchène Egyptien. Mem. de l'Acad. des B. L.* T. XXVI. p. 89.

(21) *Satyra* X. v. 174. (22) L. XXXI 4. (23) *Obſervat.* L. I. c. 35.
(24) in *notis ad Juſtinum* L. II. c. 10. (25) L. VII. c. 22.
(26) D'ANVILLE *Anal. de la Carte de la Grèce* p. 28. & *Géogr. Anc. Abr.* T. I. p. 241. cf. & BAUMGARTEN *Anmerkungen zu der allgem. Weltgeſchichte* T. IV. §. 276.

cta requirat, ne temporis ſucceſſu compleatur. Jam ad radices montis praerupti ut diu ſervetur aperta, difficillimum eſt, continuis lapidum imbribus in eam depluentibus. Haec jam Juvenali & Ammiano opponi poſſent, quorum ille quinto, hic octavo poſt rem confectam ſaeculo vixit; verum praeter eos, qui uſum foſſa Xerxem memorant, habemus locupletiſſimum teſtem, qui rei veritatem confirmet. AELIANUS (27) ſuo aevo, quinquageſimo fere poſt Juvenalem anno circa Athon montem cete & rotas piſces natare ſolitos ſcribit ad foſſam Artachaei & Acanthium Iſthmum, adjicitque iſta foſſa ſecari Athon, quod, ut monuimus, de iſthmo eſt intelligendum.

---

(27) l. c.

II. CANALES ASIATICI

§. VIII.

Haec in Europa. Jam & Asiae Africaeque miranda ejusdem indolis opera perlustremus. Et in Asia quidem haud multum nos morabitur tentata, destinata saltem, Mimantis a continente abscissio, Cnidii Isthmi perfossio, Caspii maris cum Euxino ponto conjunctio. Horum enim conatuum vix aliqua ad nos memoria pervenit. Solus est regius Euphratis alveus, quem certo perfectum novimus. Accedet e Tigri in Eulaeum fossa. Eamus per singula.

§. IX.

Mimantem Alexander M. Isthmum Cnidium accolae perfodere nisi; terrae tractum, qui inter Caspium mare & nigrum Seleucus Nicator.

Ad maritimam Joniae oram Chium versus sitae fuerunt Erythrae, cujus ad Australem plagam altus in mare mons juga protendit Mimas, ex continentibus terris per CCL. M. P. excurrens (1). Qua reliquae adnexa est Asiae peninsula,

(1) PLINIUS *H. N.* L. V. c. 31. Mirum, tantum montem in Tabulis nonnullis Geographicis prorsus desiderari, ut in RUAEI *Tab. Asiae min.* in CLERICI *Atlante.*

in anguſtum collum coit, ad quod verſus boream Clazomenius, verſus meridiem Tejus ſinus recumbit. Eum iſthmum VII mille D. paſſus longum PLINIUS dicit, qui duas fere leugas Gallicas efficiunt & decimae unius gradus parti, quam in eo trajectu deprehendo, reſpondent. Memoratos ſinus, ſciſſa pone montem planitie & foſſa traducta, jungendi, Philippi filium *Alexandrum Macedonem* deſiderium invaſit. Neſcitur, quo fine, quove conſilio. Verum hic ipſum fida ceteroquin comes fortuna deſtituit. Incepto nuntium mittere coactus humanarum virium limites vidit (2).

Libertatis contra Medos tuendae ſtudium Cnidiis abſcindendi a continente terra iſthmi ſui ſuggeſſit conſilium. Quum enim *Harpagus*, Cyri Perſarum regis militaris praefectus, victricia per Aſiam inferiorem arma circumferret, Joniamque invaſiſſet, ne viciniae contagione corriperentur reveriti Cnidii, ſaluti ſuae quovis modo ſtatuerunt proſpicere. Arbitrabantur autem id eo facilius, quod extremus Cariae vel Doridis angulus ab iſthmo ſat anguſto inter Ceramicum ſinum & Rhodium mare pendet. Hac foſſa traducta videbatur hoſtis arceri poſſe. Canalem itaque quinque circiter ſtadia longum effodere incipiunt. Verum res aegre proceſſit. Repugnaſſe quid laborantibus eoſque laeſiſſe viſum. Qua re moti Delphos quum miſiſſent, Oraculum reſpondiſſe fertur; Jovem, ſiquidem inſulam vellet effectam, ipſorum ope haud indigere. Itaque dimiſſo conſilio Harpago ſeſe ſponte ſubmiſere (3).

Sed haec oppido levia. Majoris momenti eſt, quem *Seleuco Nicatori* tributum PLINIUS (4) refert, conatus Caſpium mare cum Ponto Euxino copulandi. Quid ipſum maximopere impulerit, equidem ignoro; ſiſere, qui vitam ejus regis deſcripſere, deprehendo. Illud adjicitur, quo minus id exequeretur propoſitum, Ptolemaei Cerauni,

(2) PLINIUS l. c. PAUSANIAS L. II. ſ. *Corinth.* c. 1.
(3) HERODOT. L. I. c. 174. PAUSAN. l. c.
(4) *H. N.* L. VI. c. 12.

ni, vitam ipſi eripientis, ſcelere, impeditum Seleucum fuiſſe.

Sed id non antiquo tantum aevo tentatum eſt opus. Idem quippe & *Selimus II* (5) Turcarum Imperator ante hos ducentos annos & Ruſſorum *Petrus I* hoc ſaeculo mente agitaſſe fertur. Verum diverſo ut putamus loco. Seleucus enim Nicator, ni ſit ea fama ficti tenax, Cyrum forſan vel Araxem cum aliquo Colchidis fluvio, Selimus contra & Petrus Tanaïm cum Rha, hodie Wolga, connectere ſtuduit (6).

§. X.

Foſſa regia Euphratem inter & Tigridem.

Antiquiſſimis temporibus nullum putamus inter Euphratem & Tigrim, utrumque Armeniacum, ſi fontem reſpicias, fluvium, interceſſiſſe vinculum; hoc ad orientale Babyloniae latus decurrente, illo per mediam hanc regionem undas ſuas in oceanum devehente (1), quas ad Maſſicen vicum in Auſtralem plagam detorſerat. Sic rigata olim abundantibus aquis Babylon, ſic Orchenorum rigata regio & media Chaldaea. Viſum poſtea Babyloniae regibus & primo quidem, ut volunt, *Nabuchodonoſori* (2), aquae Euphrateae, cui Orcheni etiam exitum praecluſiſſe feruntur (3), partem in Tigrim derivare, de cujus conſilii ſcopo quam loco certius conſtat.

Itaque foſſae uſus multiplex fuit; ſtatim enim exuberantes Euphratis aquae ſic diviſae Babylonis urbi inundatione nocere haud amplius poterant (4), dein commercium junctis

(5) SCIP. AMMIRATO *Diſc. ſopra Tacito* L. XIII. *Diſc.* X.

(6) v. DE L'ISLII *tabula meridionalis Moſcoviae* gr. long. 64, 50′–65, 32′. lat. 50, 24′. cf. BÜSCHING *Erdb.* T. I. Vol. II. p. 663.

(1) Suum fuiſſe Euphrati oſtium olim, PLINIUS teſtatur *H. N.* L. VI. c. 31. de Alexandri aevo res patet ex ARRIANO L. VII. p. 454. & *hiſt. Ind.* p. 588.

(2) MEGASTHENES ex ABYDENO apud EUSEBIUM *praep. Evang.* L. IX. c. 41. Quae de Nimrodo afferuntur a nonnullis, fabulam ſapiunt. cf. *Hiſt. Univ. d'Anglet.* T. I. §. 144. & T. III. §. 711. HYDE *de relig. vet. Perſ.* p. 40. (3) PLINIUS *H. N.* l. c.

(4) Idem l. c. L. VI. c. 30.

principibus hujus terrae fluviis liberius redditum, ſimulque rigandis agris commoda haec undarum diductio fuit (5).

Ceterum, quod initio Babyloni utilitatem attulit, id poſtremo, quum repetitis vicibus & juſto nimium fieret, in damnum non minus urbi quam regioni ceſſit. Nova enim urbs a Seleuco Nicatore ad Euphratis & Tigris confluentes, Seleuciae nomine, ſtructa ſplendorem gloriamque Babyloni ablatam in ſe tranſtulit (6). Ipſeque Euphratis infra Babylonem alveus prorſus exaruit (7). Non tamen evanuit ita, ut nulla ejus hodie veſtigia reſtent (8). Saltem TEIXEIRA (9), ubi in deſertis Aſſyriae campis vallem exſiccatam, *Choabedeh* nomine appellatam, deſcribit, priſtinum Euphratis alveum deſignare videtur. Eam vallem a Baſora ſuperius 16 vel 17, inferius 5 vel 6 leugis diſtare tradit, quod poſterius intervallum cum eo congruit quod PLINIUS oſtia inter Euphratis & Tigris intereſſe dicit. Alvei etiam priſci, de quo dicimus, caput in fluvio *Saleh* reſtare D'ANVILLIUS exiſtimat (10).

Foſſis poſt Nebucadnezarem & alii reges manum videntur admoviſſe, loco non ſemper eodem. Quin & Romanorum ſub imperio, quum Parthica bella ferverent, *Trajanum*, *Severum Septimium* & *Julianum* Imperatores (11) excavando ampliandoque canali operam locaſſe ferunt.

Regio operi regium inhaeſiſſe nomen, quid mirum? PTOLEMAEUS (12) βασίλειον πόλαμὸν, POLYBIUS (13) βασιλικὴν διώρυχα dicit. Indigenis נהר מלכא *Naharmalcha* ſalutatus eſt, ut ex AMMIA-

(5) AMMIANUS MARCELLINUS L. XXIV. c. 2
(6) PLINIUS l. c. (7) MELA L. III. c. 8.
(8) Repraeſentant ea KOEHLERUS, CELLARIUS, D'ANVILLIUS.
(9) *Voyages.*
(10) *Recherches Géographiques ſur le Golfe Perſique & ſur les bouches de l'Euphrate & du Tigre, dans les Mémoires de l'Academie des B. L.* T. XXX. p. 186.
(11) AMMIAN. L. XXIV. c. 6. ZOSIMUS L. III. c. 24.
(12) *Coſmogr.* L. V. c. 18.
(13) *Hiſt. Rom.* L. V. c. 51.

AMMIANO (14) patet, in cujus corruptis codicibus, ut & apud auctores alios, ex linguarum orientis ignorantia, ea vox miro modo depravata legitur. Sic *Narmacha*, *Narmalaches*, *Armacales*, *Armalchar*, ISIDORO CHARACENO (15), ZOSIMO (16), ABYDENO apud EUSEBIUM (17), PLINIOque (18) vocatur. Arabes *Almelic* appellant.

Sed age, quem locum ſibi regium hoc flumen vindicet, diſquiramus. Ad Maſſicen Euphratis curſum ad meridiem divergi ſupra ſcripſimus. Diſtare is vicus a Zeugmate LXXXIII M. P. (19) fertur, quod minus quadrat. Maſſicen inter & Tigridem amnem ſpatium interfuit 25 minutor. ſive decem fere leug. franc. per id ex ſiniſtra fluvii parte foſſa ducta a multis pro vero & antiquo Euphratis alveo ſed temere eſt habita; revera humanae artis opus fuit (20). Haec prior foſſa, quae cum fluvio *Chobare* vel *Chebare* eadem eſſe nonnullis videtur (21), & utriuſque fluvii confluentes ad gr. lat. 35 (22) rectius 33, 9′ (23) figit, ubi poſtea Seleucia (24) urbs ſtructa eſt; hodie ex parte exaruit, ſolumque quaſi ſilicibus ſtratum oſtendit (25).

(14) L. XXIV. c. 6. (15) in *Stathmis Parth.*
(16) l. c. (17) l. c. (18) l. c. (19) PLINIUS L. V. c. 21.
(20) PLINIUS ſcil. ac PTOLEMAEUS in eum errorem multos induxerunt; verum PLINII verba curatius perſpecta rem aperte declarant, *Euphratem* enim in *confluente foſſa perductum* ſcribit.
(21) Nomen a *Gobare* derivant, quo praefecto in ſtruenda foſſa olim regum quis uſus. v. PLINIUS L. VI. c. 30.
(22) CELLARIUS *Not. Orb. Ant.* L. III. c. 16.
(23) D'ANVILLE *Orbis Rom. Tab.*
(24) Cteſiphon legitur apud AMMIANUM l. c. ſed alia foſſa intelligitur.
(25) DE L'ISLE *Charte de Babylone* cf. *Hiſtor. Univerſ. Angl.* I. c. D'ANVILLE *Géogr. Anc. abreg.* T. II. p. 00. Has alvei reliquias hic ad *Macepractam* AMMIANI MARC. refert, quam ex Syriaco Maï-Farekin *canalis apertionem* interpretatur; videtur enim ipſi a מים & ארק *Majim & Pharak eruptione aquarum*, manu facta ſcilicet, quaſi *Maïpract* nuncupata. Eam Macepractam HADR. VALESIUS Maſſicen PLINII eſſe ſtatuit; qua in re acute vidit. Certe, ſi non ſit ipſa, vicina eſſe debuit.

Alia paulo inferius confecta, cujus caput inter Maſſicen & Babylonem locant veteres (26); ad gr. lat. 35, 30′ RUAEUS (27); D'ANVILLIUS 32, 50′ ponendum exiſtimat, exitum vero poſt aliquot anfractus PTOLEMAEUS ipſe ad Apameam Mianam, quam PLIN. (28 Digbam vocat, gr. lat. 34, 20′ long. 79 (29), 50′, contra RUAEUS ad gr lat 34, 12′ long. 78, 5′ D'ANVILLIUS gr. lat. 30, 59′ ponit. Apameae dudum deſtructae hodie ad ipſos confluentes, ſed cis Euphratem caſtellum ſucceſſit, *Kern* vel *Korna*, *Cornu*, dictum. Fluvius conjunctione peracta, nomen *Schat-ul-Arab* ſive Arabum fluvii recipit (30).

Utra harum foſſarum proprie regia fuerit dicta, qui multis diſputant (31), operam perdunt & oleum; revera enim utraque hoc nomine olim venit (32), utraque regum auſpiciis & juſſu facta, etiamſi, quo quaeque tempore, nobis indicare haud liceat.

Ab utraque diverſa tandem videtur foſſa, quae Romanis Imperatoribus ſupra a nobis laudatis adſcribitur, ex Euphratis regio alveo in Tigrim prope Cochen & Cteſiphontem derivata (33) ſic, ut inter priores media eſſet.

Ex iis, quae hactenus ſunt allata, quum ſaltem illud pateat, Naharmalcha humanis viribus eſſe confectum, a vera ratione multum eos aberrare ſequitur, qui Paradiſi fluminibus

---

(26) PTOLEMAEUS L. V. c. 18. cf. Tab. noſtra II.
(27) In *Atlante* CLERICI *Tab. Chaldaeae.*
(28) L. VI. c. 31. Cavendum eſt oppido, ne quis Apameam Mianam Ptolemaei, de qua hic ſermo, cum Apamea Meſenes PLINII ſupra Seleuciam ſita confundat. (29) L. V. c. 18.
(30) D'ANVILLE loco annot. 10 citato p. 171.
(31) v. CELLARIUS l. c.
(32) Quod patet ex locis PLINII, PTOLEMAEI & AMMIANI citatis.
(33) AMMIANUS & ZOSIMUS l. c. ubi in foſſam à Trajano deductam Narmalaches incidens in Tigrim ſe exonerare dicitur. Ea foſſa nullibi ſic repraeſentatur. Qui infra Baſoram dimidio gradu a mari diſtans *canalis* occurrit, *Bahreinii* dictus, recentioris aevi eſt, & a noſtro argumento alienus.

bus eum accenſendum exiſtimant, proque Gihone habendum, quos inter GROTIUM (34) nominaſſe ſat eſt.

Denique hinc digredi nobis non licet prius, quam aliam de Naharmalcha opinionem a nobiliſſimi operis *Hiſtoriae Univerſalis*, quod in Anglia lucem vidit, *Auctoribus* propoſitam, protulerimus. Scilicet hi quas hactenus deſcripſimus, ab occaſu ad ortum deductas ex Euphrate in Tigrim, foſſas, admittunt ita, ut & aliam a borea in auſtrum derivatam ex eodem Euphrate in lacus Arabiae proximos eodem nomine ſalutatam fuiſſe priſcis ſtatuant (35). Huic forſan hodie *Cuthae* vel *Cuthi* nomen inhaeret, apud Veteres *Pallacopae* (36) nuncupatae. Eam foſſam ex Euphrate ductam ARRIANUS (37) dicit. Regiam appellandam inde cenſent, quod ab Orientis ſcriptoribus ad *Nimrodum* vel *Cuſchium* ejus patrem auctorem referatur (38).

§. XI.

Foſſa ex Eulaeo in Tigrim.

Suſianen ab Elymaïde olim diſterminabat, & Suſam rigabat amnis Eulaeus, ortus in Medis (1), Choaſpes (2) etiam, & in ſacris litteris (3) Vlai, hodie *Karun* (4) dictus. Ex eo ſolo Perſarum quondam reges bibebant (5). Foſſa junctum cum Tigride, ARRIANUS (6) memorat, qua uſas Alexandri

(34) in *Notis ad Gen.* c. II.
(35) T. III. l. c.
(36) ARRIANUS de *expeditione Alex. M.* L. VII.
(37) l. c. p. 489.
(38) v. HYDE l. c. ubi citat TABARI Perſam de *morte Sarae.*
(1) PLINIUS *H. N.* L. VI. c. 31.
(2) HERODOT. L. I. c. 188. SALMASIUS *Plinian. exercitat. in C. J. Solini Polyh.* p. 492.
(3) *Daniel* VIII, 2.
(4) D'ANVILLE l. c. *Mem. de l'Acad. des B. L.* T. XXX. p. 185.
(5) HERODOT. & PLIN. l. c.
(6) *de Expedit. Alex.* L. VII. c. 7. p. 453.

xandri M. copias tradit. Ejus canalis ignotus auctor, certus locus, hodieque enim navigia transfert (7). Distat nimirum dimidio gradu ab ostio suo, quod inter & Tigridis ostium quatuor gradus interponit PTOLEMAEUS (8), cui errori illum etiam adjicit, quod Mosaeum inter Tigrim & Eulaeum in oceanum exire jubet. Id enim nullo modo admitti potest. Sed hac de re alii videantur (9).

---

(7) D'ANVILLE l. c.
(8) *Cosmogr.* L. VI. c. 3.
(9) CELLARIUS L. III. c. 19. D'ANVILLE & SALMASIUS l. c.

III. MOLI-

III. MOLIMINA AFRICANA

§. XII.

Foſſae ex Nilo in ſinum Arabicum.

Nec his plura ſuppeditat nobis Aſia. In Africa demum unus eſt, qui in cenſum hic venire poſſit, Nilus, ex quo praeter oſtia, ſi non plurima, aliqua ſaltem manu facta (1), in Arabicum ſinum, hodie lacum Colzumium, navigationis adjuvandae cauſa (2), aliquae deductae ſunt foſſae, quae *Darium* Perſarum regem *Hyſtaſpidem*, *Ptolemaeum Philadelphum* ejuſque ſucceſſores, *Trajanum* item *Auguſtum* vel *Hadrianum* forſan auctores agnoſcunt.

In horum opera exactius deſcribenda ut nec priſcis nec recentioribus ullo modo conveniat, accidit eo, quod vel antiqua teſtimonia prorſus confundant, vel nonnulla, HERODOTI potiſſimum, negligant, vel in locandis iis, quibus adſtructae fuere foſſae vel per quas tranſiere, locis mire diſcrepent. Nuper etiam novum D'ANVILLII de Heroopolitani oppidi ſede commentum huic canalium deductioni novam plane faciem induxit. Ejus itaque ſententia cui arriſerit, is integrum opus unicam effeciſſe foſſam ſtatuat, oportet, a Memphidis regione verſus boream, ad Bubaſtum & Phacuſam, inde in Auſtralem plagam per Heroopolin mediterraneam ad Arſinoën deductam, & cum capite Arabici ſinus conjunctam. Quibus e contrario antiqua opinio placet, duas tres-

(1) ARISTOTELES L. I. *Meteor* c. 14. omnia Nili oſtia, ſolo excepto Canopico, humana arte facta tradit. HERODOTUS contra L. II. c. 17. Bolbiticum modo & Bucolicum eo refert. Ceterum nec in nomine nec in numero oſtiorum veteres prorſus conveniunt. v. CELLARII *N. O. A.* L. IV. c. 1. cf. D'ANVILLE *memoires ſur l'Egypte.*

(2) v. *Hiſtoire du commerce & de la navigation des Egyptiens ſous le regne des Ptolemées par Mr. Ameilhon.*

ve admittant foſſas, neceſſe eſt. Equidem in hac lite fluctuare me animo ſponte profiteor, neque commiſſurum, ut arbitri vices mihi arrogem. Satis habebo, quaſnam in hoc conatu partes quoſve labores ſingulis memoratorum principum ex utraque doctrina tribuere conveniat, ex rerum annalibus oſtendiſſe, praemiſſa tamen pro more ſuccincta Niliaci curſus & Aegyptiae terrae, in quantum huc ſpectat, delineata facie.

Ptolemaïca Agathodaemonis tabula, qua Aegyptus repraeſentatur, Nili fluminis alveum, ubi Delta efformaturus in brachia ſua ſecedit, ita ſiſtit depictum, ut ab eo, qualem recentiores Geographi deſcribunt, prorſus diſſentiat. Preſſere tamen priſca veſtigia nonnulli eorum, quos vulgo diurna nocturnaque manu volvimus & in perlegendis auctoribus antiquis continuos fidoſque Achates & comites habemus. KOEHLERI *Atlantem* CELLARIIque *notitiam* intelligo. Hi Memphidem inter gr. lat. 29, 40′ & 50′ collocant, a qua ratione nec alii multum recedunt. Babylonem Memphide minutis aliquot inferiorem ſtatuunt Paulo inferius ad gr fere 30 prope Cercaſorum urbem primum fluvii divortium ponunt (3), ſed ita, ut triplicem ſtatim alveum exhibeant, & ad dextram & ſiniſtram aeque diducant latera, Canobicum & Bubaſticum, ſ. Peluſium, HERODOTUM (4) de cetero & MELAM (5) ſecuti, tabulamque PTOLEMAEO adjectam. Recentiores contra ad id omnes conſpirant, SICARDUS (6), RICH. POCOKIUS (7), D'ANVILLIUS (8), ut prius in duo tantum brachia Nilum diſcerpant; Canopicum paulo poſt gr. 30. ad ſiniſtram educentes ex Nilo, qui ad dextram curſu parum ad Orientem inclinato indiviſus per dimidii gradus ſpatium pro-

(3) PTOLEMAEUS L. IV. c. 5. reliqui ſuo loco. cf. Tab. noſtra III.
(4) L. II. c. 17. (5) L. I. c. 9.
(6) Ejus Tabula Aegypti, ex majori, quam is a. 1722. Cairi confecerat, in compendium redacta *hiſtoriae Romanae* CATROVII & RUILLII adjecta eſt.
(7) *deſcription of the Eaſt.* Vol. I.
(8) l. c. & in *Tab. Aegypti.*

procurrit, donec in Bubaſti vicinia Bubaſticum rivum ex ſeſe emittat.

Hunc autem verum eſſe hodiernum rerum ſitum, recentiſſima doctorum cura nos non ſinit dubitare; neque tamen antiquos, quos laudavimus, auctores erroris incuſare propterea auſim, PTOLEMAEUM praecipue & AGATHODAEMONEM, quos in deſcribenda patria tam negligenter verſatos ut arbitrer, piaculo fere mihi duxerim. Mihi ſi quid conjicere liceat, Niliacae inundationes annuae aliam aliamque formam ſubinde curſui amnis & alveo dediſſe & in poſterum forſan daturae videntur. Quae res, ſi ad verum congruit, non poteſt non difficillimum & lubricum certo modo Geographiae Aegyptiae ſtudium reddere.

His de alveo Nili notatis, nonnulla de urbibus etiam, quarum mentio facienda erit, age, adjiciamus. *Bubaſtum* alias Pi-beſet (9), hodie *Baſta*, PTOLEMAEUS gr. long. 63, 5′. lat. 30, 40′ locat; D'ANVILLIUS gr. long. 49, 36′. lat. 30, 30′. *Phacuſam* ille gr. long. 63, 10′. lat. 30, 50′; hic gr. long. 49, 37′. lat. 30, 36′. SICARDUS eo deceptus, quod oppidum *Beiſſous* idem cum Phacuſa putaret, poſthabita veterum auctoritate, qui Bubaſto propinquam fuiſſe tradunt (10) Phacuſam, haec ad primum Nili verticem temere rejicit & omnia mire turbat (11). *Arſinoë* PTOLEMAEO eſt gr. long. 63, 20′. lat. 29, 10′. D'ANVILLIO gr. long. 50, 15′. lat 29, 43′. ad ipſum caput ſinus Arabici. Haec ſic ſatis extra dubium De *Heroopoli* ſive Heroum oppido eo graviorem litem D'ANVILLIUS (12) movit, quo magis foſſarum ratio inde pendet. Hanc urbem PTOLEMAEUS eodem fere in gradu latitudinis, in quo & primum amnis divortium, figit, 29, 50′ ſcilicet, long. gr. 63, 10′ ita, ut ſupremo maris rubri angulo propinquum ſit, cui proinde & Heroopolitani ſinus nomen tribuit antiquitas. SICARDUS etiam ibi ponit, ubi hodie *Calaat Agerud* viſitur. In

(9) *Ezech.* XXX, 17.
(10) PTOLEMAEUS l. c. STRABO L. XVII. p. 804.
(11) v. contra D'ANVILLIUS l. c. p. 107. (12) l. c. p. 121.

universum, qui situm a Ptolemaeo definitum calculo suo non approbaret, ante D'ANVILLIUM inventus est nemo. Is primus in alia omnia ivit. Heroum oppidum gr. lat 30, 15′ ponit infra lacus amaros, idemque cum Pithom Sacrae Scripturae & Patumo Herodoti esse pronuntiat. Equidem durum esse existimo, a consensu totius antiquitatis hac in re recedere; neque video, qui queat Aegyptio homini, Geographiae studio navanti operam, illud attribui, ut maritima an minus patria quaedam urbs fuerit, ignoraverit. Nisi vero quis velit etiam pronum ad credendum putare, D'ANVILLIO posse de situ Massiliae, maritimo an mediterraneo, dubium oboriri, aut in re tam luculenta posse eum decipi. Affert tamen duo opinionis suae fulcra laudatus auctor, quae, etsi non prorsus stabilire, aliquo tamen modo sustentare novam sententiam queant. Prius ex Josepho desumit, posterius ex *Antonini Itinerario*. Scilicet, ubi in Sacris litteris Josephus Jacobo patri obviam iviſse Gosenum fertur (13), ibi apud JOSEPHUM (14) scriptorem Jud. Heroopolin usque processisse scribitur, ut in paternos amplexus rueret. Jam minus verosimile dicit, ex terra Chananaea adventanti patri obviam voluisse fieri ad infimum isthmi Aegyptii angulum. Propinquius quippe iter habebat Jacobi filius per medium isthmi tractum, nec affectus, quo totus ardebat, eam moram ferebat. Rectius hic feciſſet D'ANVILLIUS, si loco JOSEPHI adduxisset LXX Interpretes, quorum scilicet mentem is exprimit, qui memorato loco ad *Heroum urbem* a filio suo Patriarcham salutatum expressis verbis scribunt. Id oppidi nomen τῶν ὁ Coptus interpres voce *Pethom* reddit (15). Quin autem Pithom, cujus & alibi MOSES (16) meminit, eadem sit cum Patumo, vix soni similitudo dubitare patitur. Jam *Patumo* HERODOTUS (17) certissimum locum assignat, paullo enim supra Bubastum ponit. Haec sic satis cohaerent, nec omni veri

(13) *Gen.* XLVI, 28. 29. (14) *Antiq. Jud.* L. II. c. 4.
(15) v. CELLARII *N. O. A.* T. II. p. 806. (16) *Exodi* I, 11.
(17) L. II, c. 158.

ſpecie veri carere dicenda ſunt, etſi rem non penitus conficiant. Alterum doctrinae ſuae documentum ex *Itinerario* (18) depromit D'ANVILLIUS Oppidum inter Tohum & Heroopolin Itineris Antoniniani index XXIV, inter Clyſma & Hero LXVIII M. P. interponit. Tohum D'ANVILLIO eſt oppidum *El-Bueib*, quod, qui Meccanum iter ſuſcipiunt, tranſire ſolent, gr. long. 49, 30′. lat. 30, 10′ ſitum. Quin Clyſma ſit *Colzum*, dubitare nefas videtur D'ANVILLIO. Jam Heroum civitas ſi ad ſinum rejicitur, fere L. M. P. a Tohum, non niſi XXXIII fere a Clyſmate aberit; ſin ad lacus amaros locatur, egregie utraque dimenſio Itinerarii congruit. Stringeret hoc argumentum prorſus, modo Clyſmatis & Tohumi ſedes extra omnem dubitationis aleam eſſet poſita Itaque equidem τὸ ἐπέχειν eligo, & cuique liberrimum judicandi arbitrium relinquo. Interim hoc diſcrimen de ſede Heroopolis tanti eſt momenti, ut diverſiſſimas de foſſis noſtris ſententias excludat. Quas ut exponere queamus, ex antiquorum ſcriptorum locis regia foſſarum molimina ſuccincte & nude ante omnia referemus.

Antiquiſſimum conatum foſſae ex Nilo in rubrum mare deducendae *Seſoſtri* attribuunt ARISTOTELES (19), STRABO (20), PLINIUS (21); contra HERODOTUS (22) & DIODORUS SIC. (23) *Neconi*, quem in eo opere 120 millia hominum abſumſiſſe referunt, nec deſiiſſe prius, quam moneretur fore, ut hoſti viam in Aegyptum ſternat. Interjecto tempore rem eandem molitus eſt *Darius* (24). Ejus auſpiciis prope Memphim initio facto ad montium radices ab occaſu ortum verſus protracta eſt foſſa ad Patumon uſque, a qua verſo curſu per varios anfractus a borea in auſtrum ſi non prorſus eſt derivata, derivari ſaltem debuit. Hic enim diſſentire ſcriptores reperio. Reliqui derelictam a Dario inundandae Aegypti aut corrumpendae Nili aquae metu foſſam referunt, ſolus eſt HERODO-

(18) ed. Weſſeling. p. 170. (19) l. c. (20) l. c.
(21) *H. Nat.* L. VI. c. 33. (22) L. II. c. 158. (23) L. I. p. 29.
(24) HEROD. DIOD. S. & STRABO ll. cc.

tus, qui perfectam dicat, & ea quidem latitudine, ut duas triremes admitteret, longam iter quatridui, quo de intervallo mox aliquid afferemus. Haec Herodoti narratio, ab omnibus fere, qui de foſſis his noſtris ſcripſere neglecta, determinando tractui ſituique canalis apprime eſt neceſſaria. Duobus fere ſaeculis poſt *Ptolemaeus* (25) ſecundus ſeu *Philadelphus* foſſam a Phacuſa C pedes latam, altam XL, longam XXXVII cum dimidio ad fontes uſque amaros, hodie *Calzemios*, deduxiſſe PLINIO memoratur, nec proceſſiſſe ulterius, eadem qua Darius ratione praepeditus. Contra DIODORUS SIC. atque STRABO ad mare Arabicum uſque perfectam tradunt, quippe quae ad Arſinoën exierit, atque diaphragmate vel euripo fuerit munita. Denique *Trajanus Auguſtus* foſſae a Babylone per Heroopolin deductae nomen ſuum indidiſſe a PTOLEMAEO (26) narratur Id operis autem forſan HADRIANO tribuendum. Is enim, quod notum, ipſe in Aegypto fuit, nomen praeterea *Hadriani* canalis, qui prope Babylonem, Cairum, nunc dicunt, inundationum tempore aquas Niliacas hodieque recipit, fert penes Arabes. Ita adoptivum nomen ejus Imperatoris foſſae Ptolemaeus tribuiſſe dicendus eſſet (27). Jam ſi quaeras, cui loco ſingulae ſint adjudicandae foſſae, *Darii* atque *Ptolemaei* labor in dubio eſſe nequit, quandoquidem termini quos inter locandus eſt fixum ſitum habent. *Trajani* contra opus a ſede Heroopolis unice pendet.

Ex *vulgari* itaque *ſententia*, qua Patumon paullo ſupra Bubaſtum & Heroum urbem ad ſinum Arabicum locant, *tres* omnino *foſſae* admittendae ſunt.

I. Prima quidem *Darii*, a montibus prope Memphin ad ipſos eorum radices deducta Patumo tenus, & inde verſus auſtrum ad Arabicum ſinum. Hanc foſſam nullibi repraeſentatam reperies, luculenter licet ab Herodoto deſcriptam. Con-

(25) PLIN. DIOD. S. & STRABO ll. cc.
(26) *Coſmogr.* L. IV. c. 5.
(27) cf. D'ANVILLE l. c. p. 107. ex GOLIO.

Confuſa eſt hactenus cum Ptolemaei & Trajani foſſa, a qua tamen, ut videbis, diverſiſſima exſtitit. Montes, quorum catenam ſecuta haec foſſa eſſe debet, POCOCKIANA aeque ac D'ANVILLIANA mappa exhibet, aliis ignoti videntur. Quatridui ſpatium, quod Herodotus toti foſſae aſſignat, ſi cum linea, quam illa deſcribit, gradum unum cum dimidio complexa, conferatur, ſingulis diebus novem leugarum franc. iter attribuet.

II. *Ptolemaei Philadelphi*, a Phacuſa ad fontes amaros & inde ad mare Arabicum. Hunc autem canalem eo aevo ſive ab ipſo Philadelpho ſive a ſucceſſorum aliquo fuiſſe perfectum, ea, quae de diaphragmate ſive euripo ad oſtium adjecto memorantur, videntur innuere, etiamſi, quale id opus fuerit, ambigant interpretes. JAC. PALMERIUS (28) ejus generis fuiſſe euripum ſtatuit, cujus multa hodie viſantur in Belgio, quibus altioris undae impetus arceatur, ne in inferiorem alveum nimia vi irrumpat; cujus rei imaginem etiam exhibet. In eoque putat rationem ſe reperiſſe, cur Darius opus ſuum ad finem perducere nequiverit, quod euripi iſtius uſum ignorarit. Perſuaſiſſimum enim eſt viro Clariſſimo, Strabonem, ad cujus verba iſta enarrat, metum inundandae Aegypti haud vanum exiſtimaſſe. Verum in his multa ſunt, quibus aſſenſum praebere dubitarim equidem. Primo enim maris undam ea parte altiorem eſſe, negant recentiores, quos inter ad J. B. RICCIOLUM (29) provocare liceat, neque, ſi foret paulo altius, inundationis periculum eſſe tradunt; dein id commentum revera riſiſſe Strabonem inde patet, quod ipſi δόξῃ ψευδεῖ πεισθεὶς ſive falſa opinione motus dicatur Darius; neque tam ad arcendam rubri maris aquam Ptolemaeus narretur euripum adjeciſſe quam potius, ut libere, ἀκωλύτως, ſi vellent, Aegypti reges in ſinum Arabicum navigare, alios autem ab invadenda regione prohibere poſſent; & tandem, quis Palmerio perſuaſerit, eos euripos, quos

(28) *Exercitat. ad Auct. Graec.* p. 355.
(29) *Almageſt.* L. I. p. 728.

quos hodie ſtruunt, ea aetate notos fuiſſe ? Vox certe diaphragmatis, quo Strabo utitur, aliud opus videtur innuere. Ceterum perfectum a Ptolemaeis canalem, vix eſt, quod dubitemus. STRABONIS & DIODORI SIC. teſtimoniis veſtigia hodierna accedunt, inter lacum Sheib, quem cum lacu amaro eundem eſſe putant, & Suez vel Arſinoën viſa (30). Illud tamen inficias ire nolim, ultimo Ptolemaeorum ſaeculo corruptum & limo oppletum haud inſerviiſſe amplius, unde Cleopatra navium per ſchoenum trans iſthmi Aegyptii collum trajiciendarum conſilium animo volviſſe fertur (31). De cetero hunc alveum Ptolemaeis tributum, *Ptolemaeum* etiam dictum, certatim repraeſentant, qui Aegypti faciem exhibent (32).

III *Trajani* vel *Hadriani*, a Babylone per Heroopolin in mare rubrum. Sed rectane via ab occaſu ad ortum illa fuerit Imperatoris juſſu deducta, an potius inſtaurata modo & repurgata Dariana & Ptolemaïca, quaeri poſſet. Rectum vulgo curſum ad orientem ipſi tribuunt (33); cui rei etiam POCOCKIANA tabula aliquod praeſidium affert, oſtenſa montium catena, ea pergentium Verum faciliori opera antiquam reſtitutam, quam novam confectam, quilibet videt. Majoris etiam commodi foſſa per ambages ducta erat futura. Et tandem, famam pro hac ſententia ſtare, jamjam vidimus. Ceterum Trajani hoc opus non inchoatum modo ſed perfectum utique eſſe, verba PTOLEMAEI declarant, qui ῥεῖν, fluere, Trajanum ſcribit.

Ita intelligis, Lector amice, quid ſit, quod modo diximus, Heroopoli ad ſinum Arabicum repoſita, duas treſve foſſas eſſe ſtatuendas. Nunc, age, contraria etiam ratione, quo modo omnes regum operas jungat D'ANVILLII doctrina de Heroum oppido priſtina ſede propulſo, videamus.

Hunc

(30) D'ANVILLE l. c.
(31) PLUTARCH. *vit. Antonini* T. I. Op. p. 948. DIO CASS. L. LI.
(32) & (33) ORTELIUS, CLUVERIUS, KOEHLERUS, CELLARIUS, alii.

Hunc itaque ducem ſi ſequimur, ſequenti ordine modoque rem confectam ſtatuemus.

I. *Darium* rivum eum, qui hodie ex Nilo per Babylonem (Cairum) prolabitur, verſus Pharbaethum (Belbéis) tendit, & nomine *Khalitz-Abu-Meneggi* inſignitur, effodiſſe, eumque, ſi non ad ſinum Arabicum, ad Patumon ſaltem ſive Heroopolin uſque & lacus amaros derivaſſe.

II. *Ptolemaeum* deinde paulo inferius ad Phacuſam aliam Nili venam incidiſſe, ex qua fluvii undas in Darii alveum ad eandem Heroopolin & per viam eandem ad Arſinoën in mare rubrum deduxerit. Fuiſſe vero hunc dein canalem Dario-Ptolemaïcum, ſi ita dicere fas ſit, ſucceſſu temporis obſtructum ſic, ut uſum praeſtare nullum potuerit ultimis Ptolemaeorum temporibus. Facile hinc fuerit perſpectu, quid Hadrianum permoverit, ut opus integrum repurgaret. Itaque arbitrabimur denique

III. *Hadrianum* totam foſſam, a Dario & Ptolemaeis confectam, ſed temporis injuria & accolarum incuria corruptam, in priſtinum ſtatum reſtituiſſe.

Verum nos nimium ſic morata eſt lis, quam componere nec poſſumus prorſus, nec, ſi poſſimus, magnopere cupimus. Utriuſque partis documenta totamque rationem in medium propoſuimus. In eam quiſque, quam potiorem habuerit, abito. Nobis in rem noſtram abire liceat. Unicum illud adjicimus. Antiqui operis reficiendi inſtaurandique deſiderio captum fuiſſe eum, qui hodie rebus Turcicis praeeſt, ex ore legati ipſius, ad Regem Chriſtianiſſimum miſſi, D'ANVILLIUS (34) audiit.

(34) l. c.

His ita luſtratis tam miris tam arduis mortalis induſtriae documentis, perpenſaque ſaeculorum ab iſto aevo elapſorum ſerie, ſubit mirari, quod etiamnum non deſint ex recenſitis, quae edacis ceterum temporis dentes effugerint. Oſtentat enim hodieque Drusi foſſam Belga, Regium aliquem Euphratis alveum Eulaeique canalem Tigridis accola. Reliqua hominum negligentia tempeſtatiſque iniquitate ſunt peremta.

Quod ſupereſt, varia veterum commenta, quae ad rem noſtram ſpectare quodam modo poſſent, forſan erit, qui in hac lucubratione deſideret. Qualia ſunt, quod terrarum anguſtiae, inter mediterraneum mare & Arabicum ſinum contentae, ſub aquis olim ita delituerint, ut navibus iter inoffenſum praebuiſſe dicantur; quod ad Gades Europae quondam adhaeſerit Africa, priuſquam vel terra vehementius mota vel Herculei lacerti divortium fecerint; & quae ſunt hujuſmodi farinae plura. Verum veris aut veroſimilibus miſcere fabuloſa, & in re ſeria ludere, a boni viri officio abhorrere duximus In his ergo non peccavimus; in aliis contra nihil uſquam humani a nobis alienum putamus.

EMENDANDA

p. 6. l. 3. deleatur not. (*l*) & reponatur ad v. deprehendes l. 8.
p. 21. l. 13. pro 14′ lege 24′. pro 38′ lege 40′
l 14. pro 15′ lege 35′

TABU-

TABULAE
longitudinum & latitudinum
a diverſis auctoribus
definitarum,
quibus in uſum trahendis
praenotanda ſunt iſta.

PTOLEMAEUS minuta graduum per partes aſſis exprimit, quinariis a ſe invicem diſtantes.

Idem meridianum primum per locum Canariis inſulis vicinum deducit.

A SANSONIORUM tabulis, multum a ſe diſcrepantibus, ut & ſpatio & tempori parceremus, abſtinuimus.

Graduum latitudinis, ſiquidem ad leugas hodiernas referri debeant, ea ratio eſt & dimenſio, ut, quo magis ab aequatore recedunt, eo coarctentur magis.

TAB. I.

		PTOLEM.	KOEHLER	CELLAR.	DE L'ISLE	D'ANVILLE	*Varii*
Rheni	long.	28, 45′	25, 30′		21, 30′	21, 45′	
ost. Occid.	lat.	53, 20′	51, 55′	52, 5′	51, 40′	51, 55′	
Rheni		29, 0′	25, 15′		21, 40′	22, 0′	
ost. Med.		53, 10′	52, 10′	52, 40′	52, 20′	52, 12′	
Rheni		29, 0′			21, 45′		VISCHER
ost. Orien.		54, 0′	53, 35′	53, 30′	53, 20′		27, 13′-25′ 52, 2½. 6′
Fossa					23, 30′-40′	23, 38′-45′	ALLART 24, 6′-22′
Drusi			52, 8′-20′	52, 6′-20′	52, 1′- 4′	52, 1′- 7′	52, 3′- 5′
							DANKER.
Massilia		24, 30′	26, 45′		22, 20′	23, 5′	27, 20′-32′
		43, 5′	42, 50′	42, 50′	43, 15′	43, 18′	52, 2′- 4′
Fossa		22, 45′	25, 45′-26, 20′			22, 28′-40′	
Mariana		42, 40′	43, 3′	43, 15′		43, 28′	
Rhodani		22, 50′	25, 20′		21, 30′	21, 57′	
ost. Occid.		42, 30′	42, 50′	43, 0′	43, 30′	43, 28′	
Rhodani		23, 0′	25, 45′			22, 23′	
ost. Massil.		42, 40′	42, 50′	42, 50′		43, 20′	
Corinthus		51, 15′	41, 0′		41, 0′	40, 37′	
		36, 50′	38, 15′	37, 10′	38, 15′	38, 8′	

TAB. II.

TAB. II.

	PTOLEM.	KOEHLER	CELLARIUS	DE L'ISLE	D'ANVILLE
Athos long.	51, 0′	41, 40′		41, 40′	41, 53′
lat.	41, 10′	40, 10′-38′	40, 0′-40, 30′	40, 10′-40′	40, 3′-17′
Acanthus	50, 40′	41, 40′		41, 30′	51, 72′
	40, 50′	40, 38′	40, 20′	40, 40′	40, 17′
Euphratis	79, 0′				62, 0′
fciſſio	35, 40′	35, 8′	35, 10′		32, 50′
Seleucia	79, 20′			63, 30′	62, 20′
	35, 40′	34, 55′	35, 0′	33, 0′	33, 9′
Apamea	79, 50′				
	34, 20′	33, 40′	33, 50′		30, 59′
Babylon	79, 0′			63, 0′	62, 15′
	35, 0′	34. 40′	34, 40′	32, 30′	32′ 25′
Tigridis	79, 30′			67, 40′	66, 0′
oſt. Occid.	30, 15′	30, 0′	30, 0′	29, 20′	30, 0′
Ejus	80, 30′			68, 0′	66, 50′
oſt. Orient.	31, 0′	30, 0′	30, 0′	29, 20′	30, 0′
Moſaei	82, 0′				
oſtia	30, 40′	27, 40′			
Eulaei	84, 30′			68, 30′	
oſtia	30, 40′	27, 0′	30, 0′	29, 40′	30, 5′

TAB. III.

TAB. III.

		PTOLEM.	KOEHLER	CELLARIUS	DE L'ISLE	D'ANVILLE
Alexan-	long	60, 30′			47, 55′	47, 55′
dria	lat.	31, 0′	31, 0′	30, 55′	31, 20′	31, 10′
Memphis		61, 50′			49, 25′	49, [illegible]
		29, 50′	29, 40′	29, 47′	29, 50′	29, 55′
Babylon		62, 15′				49, 5′
		30, 0′	30, 0′	29, 55′		30, 0′
vertex		62, 0′			49, 30′	49, 3′
τῆς Δ		30, 0′	29, 50′	29, 55′	30, 15′	30, 8′
Bubaſtus		63, 5′				49, 36′
		30, 40′	30, 40′	30, 30′		30, 30′
Pharbae-		62, 45′				49, 40′
thus		30, 30′		30, 22′		30, 20′
Phacuſa		63, 10′				49, 38′
		30, 50′	30, 50′	30, 40′		30, 37′
Heroopolis		63, 10′			51, 0′	49, 55′
		29, 50′	29, 55′	29, 35′	30, 15′	30, 15′
Arſinoë		63, 20′			51, 0′	50, 15′
		29, 10′	29, 30′	29, 30′	29, 50′	29, 43′

Colzom NASSIR locat { 64, 0′ / 28, 30′ } ULUG BEIG { 64, 0′ / 29, 30′ }

Quum SCIP. AMMIRALTI locum, qui toti noſtrae diſquiſitioni occaſionem ſubminiſtravit, frequenter excitaverimus, non male nos noſtris lectoribus conſulturos duximus, ſi totum heic exhiberemus. En ergo ejus verba *Diſcorſi ſopra Tacito, L. XIII. Diſc. X.* p. 256.

„ Jo ſtimo oltre ogni credenza bello, nobile, grande, e „ pietoſo eſſere ſtato il penſiero di L. Vetere col voler con- „ giugnere con vna foſſa la Moſſella, e l'Arari: poiche con „ l'entrar in barca nel Rodano, il qual ſi congiunge con l'A- „ rari, ſe quindi per la foſſa ſi andaua a trouar la Moſella, la „ qual entra nel Reno, ſenza vſcire nel mar Tirreno, l'huom „ veniua a condurſi nell' Oceano Settentrionale, nel qual „ modo tolte le difficoltà de camini, veniuano a farſi naui- „ gabili infra di loro i liti di Ponente e di Settentrione In- „ uidiò a coſi bella impreſa, dice Cornelio Tacito, Elio „ Gracilio legato della Fiandra con metterla in conſidera- „ zione per coſa di ſtato; ſe entrando egli con le legioni „ nella prouincia d'altri, pareſſe di voler commouere gli „ animi de Franzeſi. Tentò dopo otrocento anni queſta „ impreſa Carlo Magno, e dicono gli autori, che ſcriſſer di „ lui, che già ſi era incominciata tirar la foſſa per tre mi- „ glia di trecento paſſi di larghezza, e di profondità tale, „ che poteſſe riceuer ogni gran legno; nè per altro fu tra- „ laſciata, ſe non che trouando mota grandiſſima, come au- „ uiene ne luoghi paludoſi, tutto quel che di giorno ſi leua- „ ua, ſomottaua la notte. Talche imputando tutto ciò, co- „ me ſe foſſe vn miracolo, a diuina volontà, non ſi curaro- „ no di paſſar più innanzi. Ma quello, che in queſto luo- „ go è notabile ſi è, che penſaua ancor Carlo di congiugnere „ il Reno col Danubio, con la qual nauigazione conducendoſi „ nel mar maggiore, ſi veniua ad aprir il commerzio col „ leuante. Selimo padre del preſente Amurate Imperador „ de Turchi, hebbe ancor egli in penſiero di congiugnere „ il Tanai col grandiſſimo fiume Rha, chiamato da Roſſi la „ Volga, la quale sboccando nel mar di Bachù già detto il

„ mar Caſpio, gli harebbe preſtato commodità, potendoui
„ condur grandiſſima armata, d'inſignorirſi di tutto quel
„ mare, e per conſeguente di tante Città, che il cir-
„ condano, ſe egli non foſſe ſtato diſturbato da Moſcouiti.
„ 3 Quanto s'allarga l'humana mente, io ho ſentito dire da
„ coloro, i quali han pratica in Perſia, che non ſarebbe foſ-
„ ſa maggiore di quella dell' Arari alla Moſella, il congiugner
„ la Miana fiume, che entra nel mar Caſpio col Tiritiri, che
„ sbocca nel ſeno di Perſia. Nel qual modo ſi potrebbero con-
„ dur le merci non che di leuante, ma dell' Indie in ponente, e
„ ſpecialmente in Prouenza con toccar pochiſſimo mare. Poi-
„ che dal Rodano nell' Arari, dall' Arari per foſſa nel reno,
„ dal Reno per foſſa nel Danubio, dal Danubio nel mar mag-
„ giore, dal mar maggiore in quello delle zabache, da eſſo
„ nel Tanai per breuiſſima foſſa nella Volga, dalla Volga nel
„ mar Caſpio, dal Caſpio nella Miana, per foſſa nel Tiritiri, e
„ quindi finalmente nel mar Perſico ci condurremmo. Poiche
„ ſiamo in queſta materia di tagliamenti, non è da tacer il
„ penſiero, che hebbe Nerone di tagliar l'Iſthmo, ouero ſtretto della Morea, il
„ quale non è più che ſei miglia per far communicabile il golfo d'Engia con quel-
„ lo di Lepanto, poſeui mano, e fu il primo a portar ſu le ſpalle il corbello della
„ terra. La qual coſa non diſprezzata da gli iſtorici, ſe ben tenuta di tanta
„ difficoltà, che quindi per auuentura nacque il prouerbio, tu ti ſei poſto a
„ tagliar lo ſtretto; è però biaſimato quell' altro ſuo concetto di condurſi d'alla
„ bocca del Teuere per vna foſſa d'acqua a Miſeno & a Napoli, perche oltre la
„ ſpeſa intolerabile non v'era cagione, che portaſſe il pregio. *intolerandus*
„ *labor*, *nec ſatis cauſae.* Da che poſſiamo apparar queſto; che non per
„ ambizione o per vanità, ma per vtilità di popoli, o per alcun ſopraſtante
„ biſogno, a ſimili impreſe ſi debba por mano. Si come fece Mario, il quale
„ trouandoſi ſul Rodano, & hauendo biſogno per la guerra, che hauea co' bar-
„ bari d'eſſer ben proueduto di vettouaglie, conoſcendo che le naui malage-
„ uolmente poteano prender porto, perche il mare portando di molta rena nelle
„ foci del fiume, v'hauea accreſciuto il terreno, ſi diede a tirar vna foſſa aſſai
„ larga e profonda, laquale riceuendo l'acqua del Rodano andaſſe a sboccare
„ non ſolo oue il mare era più alto, ma in parte più difeſa da venti. Laqual
„ foſſa fu poi dal ſuo nome detta la foſſa Mariana, la qual hoggi Camarga
„ è chiamata, ſi come da Druſo furon dette le foſſe Druſiane. . . . A Traiano
„ venne in penſiero di fare sboccar l'Eufrate nel Tigre, ma riconoſcendo l'Eu-
„ frate eſſer molto più alto ſe ne aſtenne; dubitando che non veniſſe a ſpar-
„ gerſi & aſſottigliarſi molto.

MEDII AEVI
JUNGENDORUM
MARIUM FLUVIORUMQUE
MOLIMINA.

Non aetas agitur, pejoraque ſaecula ferri
Temporibus - - - - -

JUVENALIS.

CONSPECTUS DISSERTATIONIS

a. Introitus. Cur hoc aevo minus frequentes foſſae occurrant.

b. Tractatio ipſa, MOLIMINA facta

I. in EUROPA

Danubii cum Rheno conjunctio a Carolo M. incaſſum tentata. §. I.

II. in ASIA

Foſſa Sinenſis Regia. §. II.

III. in AFRICA

Foſſae Omaris & Joſephi. §. III.

MEDII AEVI

JUNGENDORUM MARIUM FLUVIORUMQUE

MOLIMINA

Frequentes gentium conatus maria copulandi & flumina antiquus orbis nobis obtulit; ſequens aetas rariores ſuppeditat. In cauſa ſunt, in occidua ſaltem orbis tum cogniti plaga, turbulenta ſuccedentium ſaeculorum tempora, Romanum imperium cum morte colluctans extinctumque, Regnorum ex ipſius excitatorum cineribus debilis ſtatus, artium multarum neglectus, craſſa ſcientiarum tantum non omnium ignorantia, tetra terris incubans barbaries.

Quid ergo mirum, ſi alto ſopita ſomno optima etiam jacuere ingenia, ſi vix quicquam magnum & grande auſus eſt quiſquam, ſi juvandi potiſſimum & provehendi commercii audax quoddam conſilium vix invaſit mortalium animos? Haec profecto ſtabiliendi inter maria fluvioſque connubii conamina altius ſpirantia pectora, vireſque & ab hoſtibus otium aut deficiente otio ſummam poteſtatem auctoritatemque deſiderant.

Itaque per continua decem ſaecula nonniſi pauca ejus indolis molimina innotuere. Caroli Magni in Europa; in Aſia hoc non minoris Sinarum imperatoris Xuni e Tartaria orti; in Africa demum, Omaris & Joſephi foſſae e Nilo in ſinum Arabicum & Moeris lacum deductae.

Erunt fortaſſis, qui & alias hic ſe inventuros eſſe foſſas arbitrentur, a quibus vero conſulto manum abſtinuimus, quod alio fine, quam quem nos hic reſpicimus, ſtructas eſſe conſtat. Ejus generis in Europa foſſam putamus eſſe, quam Flandriae Annales (1) A. 949 aſſignant, Ottonis M. opera perfectam in Belgio. Illa auctoris nomen hodieque referre creditur, licet deturpatum mire, pro Ottoniana dicta Honta. (2) Alii tamen in ſtridore, quem ad ringentis inſtar canis edunt fluctus, vocis originem quaerunt. Quicquid ſit, Scaldis hic occiduus, Walachriam ſejungens a Flandria, eo eſt fine derivatus a Caeſare, ut imperii finis eſſet.

Neque hujus loci proprie ſunt, me judice, plures Aſiaticae foſſae, quae magis rigandis regionibus temperan-

(1) Lib. II. ad eum annum.
(2) v. & ALTINGII *Notit. Germ. Inf.* p. 59. cf. Tab. IV.

perandoque calori, & aquae ſingulis urbibus ſuppeditandae, quam nova ut navigiis itinera remota inter maria terraſque longinquas aperirentur, ſunt confectae. Aut me omnia fallunt, aut decantatae quaedam Timuri, cui contemptus & invidia Tamerlanis nomen peperit, foſſae huc ſpectant. Is quippe Princeps, quum per aliquot annos Georgiam, Anatoliam, Syriam, Meſopotamiam nominis ſui terrore impleſſet, Bajazethique frangendo eſſet intentus, dum hiemaret in Armenia exercitus, hujus ope foſſam pridem confectam, ſed injuria temporum penitus deſtructam, refeciſſe fertur. (3) Illam ex Araxe in Araxem abire docent, caput ad Surcapilam, exitum ad Kioshke-Tchenghichi habere, decem milliaria progredi, ea latitudine atque profunditate, quae navigiis ferendis ſufficiat. Foſſam a Berlaſo, Timuri amico nomen cepiſſe. Menſis ſpatio perfectum opus praedicat multa laude CHEREFEDDINUS; ſtupet LINGUETUS (4) noſter, in ſaeculum ſuum paulo

 forſan

(3) CHEREFEDDIN-ALI *Hiſt. de Timur-Beg.* trad. par PETIS DE LA CROIX T. III. L. V. ch. 40.

(4) In *canaux navigables* 8. Amſterdam 1769. Diſcours préliminaire p. 39. „ Nous ne parlons des Tartares, qu'avec mépris: . . . Cependant un ſeul ſouverain de ces prétendus barbares réaliſoit dans une „ partie de plaiſir des projets, dont l'immenſité auroit fait reculer notre „ Europe toute entière. L'hiſtoire de Tamerlan nous apprend, que ſe „ trouvant à la chaſſe dans une de ces plaines déſertes de l'Aſie, qui ſemblent plus propres à ſervir aux hommes de tombeaux, qu'à offrir des „ communications aux commerces, il y fit tracer ſur le champ, ſous „ ſes yeux, un large Canal de dix lieues de longueur, il fut commencé „ le même jour & fini dans le mois; & cette ſingulière avanture n'eſt „ pas la ſeule du même genre, qu'offre l'hiſtoire de ce redoutable conquérant. „ Peccat & in hoc LINGUETUS, quod non attendit, in Georgiae finibus ſpatioſiſſimos campos inveniri non poſſe, eſt enim montana regio.

forſan iniquior. Biennio poſt ſimile conſilium executus eſt Timur, quum haud procul a priori loco Bailacani urbi, a ſe inſtauratae, de aquarum abundantia proſpiceret. (5) Et hanc foſſam ex Araxe ductam, ſex milliaria longam, quindecim cubitos latam eodem quo coepta eſt menſe ad finem perductam perhibent.

In Africa tandem illarum, quae ex Nilo procedunt, foſſarum plurimae ex memoratis cauſis huc non pertinent. Maximum ſcilicet uſum in diſtribuendis per Aegyptum exundantis Nili undis praeſtarunt vel praeſtant adhucdum; quales NORDENIUS (6), POCOCKIUS (7), D'ANVILLIUS aliique exhibent.

---

(5) CHEREFEDDIN-ALI T. IV. L. VI. ch. 9.
(6) in *Voyages d'Egypte & de Nubie.*
(7) *Travels of the Eaſt.*
(8) *Mémoires ſur l'Egypte.*

I. IN EUROPA

§. I.

Danubii cum Rheno conjunctio a Carolo M. incassum tentata.

Simillimus hic *Caroli M.* conatus conatui L. Veteris (1) fuit, sive principem utriusque finem & scopum, sive rei exitum respicias. Uterque Mediterraneum mare cum Germanico diversissimis licet locis copulare studuit, uterque excidit ausis. Illud omnino dissimile, quod L. Veteri quis inservire locus debuerit, incertum sit, certus e contrario destinatae a Carolo M. fossae locus; quodque illi inferioris ordinis homini, maligna obstiterit unius civis invidia, huic, potentissimo sui temporis Principi, intemperies imbrium, minus commoda tellus & belli furor.

Danubius, fluminum Germaniae, imo totius Europae facile primus, quadringenta milliaria per Germanicas, Hungaricas, aliasque terras emensus, ad solis ortum quintuplici ostio in Euxinum pontum devolvitur; Rhenus in contraria plaga salubres undas Helvetiae, Germaniae, Belgio commodat, in quo sciissus & nova fortitus nomina in Germanicum mare decurrit. Ambo flumina cito mercimoniis devehendis apta. Incidit in illum, Danubium, ad Kehlhemium Bavariae oppidum, tertio cis Ratisbonam lapide, Altmula (2) fluvius ad Rotenburgum Franconiae ortus. Rhenus haud procul Moguntia Moenum, Moenus cis Bambergam Radantiam (3) ab accolis trifa-

(1) de quo supra pag. 16.

(2) SCRIPTORES CAROLINI *Alcmanam* dicunt, *Alcmonum*, *Alomoniam*, *Alemonam*, *Alemonum*, in CHRON. DE S. DENIS Gallice *Halomone* appellatur.

(3) Praeter hoc hujus fluvii nomen sequentia apud eosdem auctores deprehendo: *Radentia*, *Rachantha*, Gallice *Radence*.

rio nomine Rednitiae, Regnitiae, Rezatiae appellitatam (4) recipit. Haec Weiſſenburgum in Noricis perluit, in ejus etiam vicinia ſecundo ab Altmula milliario nata. Ita foſſa ex Altmula in Radantiam ducta Iſtrum cum Moeno & hujus ope cum Rheno copularet amice.

Id Carolo M. venit in mentem, quum in his oris ageret, locique opportunitatem ipſe contemplatus eſſet, quod certatim coaevi ſcriptores EGINHARDUS (5), *Poëta Saxo* (6), reliquique *auctores Annalium* (7) teſtantur. Arridebat ei conſilium eo magis, quo minus ſpatium Radantiam inter & Altmulam intercedit, tria ſcilicet paſſuum millia diſtant, quoque majora commoda expediendis itineribus mercibuſque tranſvehendis, & commeatui in copiarum uſum tranſportando foſſa videbatur promittere.

Telluris ipſius quidem ratio minus favebat negotio, paluſtris quippe & nimium mollis. (8) Verum, quin huic malo ejus etiam aevi obviam ire induſtria noverit, alia opera, in his ſummi Templi Argentinenſis audax & ſolida ſtructura dubitare haud ſinunt. (9)

Ita-

---

(4) Scilicet in Onolsbacenſi Marchionatu duplex *Rezatia* nata, quarum alteram ſuperiorem, inferiorem dicunt alteram. Utriuſque confluentes *Regnitiam* efficiunt, quae variis rivis fluviiſque aucta, & *Rednitiae* nomen ſortita, demum ad Forchhemium naves ferre aſſueſcit.

(5) *De Geſt. Carol. M.* A. 793. Male ergo hunc rem totam involviſſe ſilentio ſcribit ZIPPELIUS.

(6) *Annal.* L III. *de Geſt. Carol. M.* v. 156 ſq.

(7) *Chroniques de S. Denis ſur les geſt. de Charles M.* L. I. Chap. XI. A. 793. apud DOM BOUQUET Tom. V. p. 244. Reliquos vide ibidem p. 22. 49. 73.

(8) Auctores citt. Eandem eſſe ſoli indolem hodieque, DOEDERLINUS & ZIPPELIUS declarant, ille edito programmate de hac foſſa 1705, hic emiſſa diſſertatione Ratisb. 1720, quam *Cel.* SCHWARZIUS, Altorfinus, & Vir Graviſſ. GUMPELZHEIMERUS, Ratisbonenſis Senatus Syndicus, benevole mecum communicarunt.

(9) SCHOEPFLINUS ita in *Comment. de hac foſſa Carolina*, quae recenſetur in *Hiſt. de l'Academie des Belles Lettres* T. XVIII. p. 256. Jure meritoque etiam nuperus ſcriptor Germanicae hoc opus architecturae extollit libello, *von deutſcher Baukunſt*, emiſſo Francofurti.

Itaque A. 793, quum Ratisbonae, quae antiqua Bavariae ſedes fuerat, paſchatis feſtum celebraſſet (10), cum omni comitatu acceſſit ad Razam ſeu Radantiam, congregataque hominum multitudine exercituque lacertos locante (11), aeſtatem autumnumque ei operi impendit. Jamque per duo paſſuum millia trecentos lata pedes foſſa proceſſerat (12), quum hinc imbres aſſidui autumnales moram afferrent, inde allatus rumor de Saracenorum in Septimaniam irruptione, Saxonumque cum Normannis junctorum infeſta mente, negotium omne abrumperet. (13)

Neque ad hoc conſilium ſuum rediiſſe videtur Carolus, ſive continuis bellorum turbis impeditus, ſive revera in paludoſa hac tellure & multo turbidis coeno locis difficile nimis negotium arbitratus. Quae de portentis prodigiiſque noctu viſis afferuntur, quibus Carolus etiam ſit deterritus, ea ſunt inepta recentiorum ſcriptorum commenta, ad fabulas aniles ableganda.

Reſtat coepti laboris manifeſtum documentum. Teſtes PIRCKHEIMERUS (14), FABRICIUS (15), ZEILLERUS (16), DOEDERLINUS (17), ZIPPELIUS (18) aliique. Neque, quantum novi equidem, quiſquam ea de re dubitavit unquam, etſi ZIPPELIUS, mira prorſus incuria lapſus, FELICEM FABRUM introducat vel negantem. (19) Viſitur itaque a Dettenhemio, Comitatus Pappenhe-

---

(10) *Chronicon Moiſſiacenſe* ad A. 793.
(11) Lepide recentiores quidam militum numerum definiunt, quem coaevi ſcriptores tacent. Ita GUIL. ERTL in *Relat. cur. Bavar.* n. XLVI. p. 95. quinquies mille homines opus coepiſſe docet.
(12) EGINHARDUS l. c. *Annales Franc. Tiliani* & *Loiſeliani* foſſatum magnum appellant.
(13) EGINHARDUS l. c. *Chron. de S. Denis.*
(14) apud SCHARDIUM in *Script. R. G.* T. I. p. 91.
(15) In *itiner.* Baſ. 1547. p. 49.
(16) In *itiner. Germ.* p. 536.
(17) in *programmate memorato.*
(18) in Diſſ. laudat.
(19) Provocat ad ejus *Hiſt. Suev.* L. I. p. 53. in GOLDASTI *Scriptor.*

penhemienſis pago in occiduum ſolem deductum indeque in auſtrum deflexum clivuli dorſum a foſſoribus factum, terminatum in loco, cui adſtructus pagus hodieque nomine *Graben* (20) ſive *foſſa* ſignatur, & a quo ad ipſam Altmulam minus fere ſpatium perfodiendum ſuperfuiſſet. Comparet & foſſa certis locis adhucdum trecentos pedes lata, centum profunda. Siſtuntur ea foſſae rudera ſituſque peculiari tabula, quam a DOEDERLINO commodatam exhibent ZIPPELIUS & ECKHARDUS (21), ex qua totius negotii ratio egregie pateſcit. Conferri poteſt & illa, quam SCHOEPFLINUS in *commentariis Academiae Pariſinae* offert. (22) AMMIRALTUS ut in loco, quo de hoc Carolino conatu loquitur, alucinatus ſit, ſupra oſtendimus. (23)

Rer. Suev. ſed eo loco FELIX FABER de re prorſus ab hac diverſa loquitur. En ejus verba: „ In Moguntia Carolus M. pontis opus egre„ gium quingentorum cubitorum latitudinis per Rhenum extruxit : cujus „ tamen nunc nullum apparet veſtigium.

(20) In plurimis mappis Geographicis is pagus deſideratur ; in *Homanniana Epiſcopatus Eichſtettenſis*, itemque *Comitatus Pappenhemienſis* exhibetur. Nec minus in nova & ampliſſima mappa Germaniae, a JAEGERO emiſſa Tab. L. Situm quoque definit poſt HÜBNERUM, BÜSCHINGIUS T. X. *Geographiae*, ubi bona equeſtris per Sueviam Ordinis Immediati deſcribit.

(21) *De reb. Franc. Orientalis* T. I. p. 750.

(22) T. XVIII. cit.

(23) pag. 17.

II. IN

II. IN ASIA

§. II.

Foſſa Sinenſis Regia

Praeter alias frequentes foſſas, in ſingulis vaſtiſſimi Sinenſis imperii provinciis obvias, lapidea etiam crepidine munitas (1), Regia eſt foſſa, *Yun-Leang* ſive regius canalis, nominata, opus memorandum, & praeſtantiſſimis hujus generis operibus ſpatio, quod emetitur, aequiparandum. Principes Sinae fluvios flavum caeruleumque, *Hoang-ho* & *Yang-tſe-kiang*, & oppida duo maxima & totius imperii praecipua, borealem auſtralemque aulas dicta *Pe-king* & *Nan-king* conjungit. Structae ejus foſſae gloriam non indigenae Reges ſibi vindicant. Tatarorum Mogolidum primus Sinarum Imperator, Dynaſtiae vigeſimae nonae (2), cui ex incerta ratione Yuenorum (3) nomen inhaeret, auctor, quem ſui *Kublaium*, Sinenſes *Chi-tſou*, ſcriptores Europaei *Xunum* appellant, circa annum 1289 canalem ducere coepit. (4) Is Gengiſida, ultimo Sumidarum Sinenſi Imperatore devicto, imperii ſedem Pekinium tranſtulit (5), priſca regna Tatarica & recens adjecta Sinica ſic faciliori opera in obſequio contenturus.

Proſpiciendum erat de commeatu, qui huic urbi, aliquot centena hominum millia complexae, ſufficeret. Victus ex Auſtralibus plagis undique afferendus, navibus oram maritimam legentibus, & continuis graviſſimiſque expoſitus procellis periculiſque fuit, & lente nimis videbatur adduci. Haec prudenti Principi artium perito & amanti effodiendi canalis cauſa

 fuit.

(1) DU HALDE *deſcription de la Chine* T. II. p. 155. & T. I. paſſim.
(2) Ita apud DESGUIGNES *hiſt. des Huns* T. I. P. I. p. XXII. contra alii eam dynaſtiam vigeſimam numerant, v. DU HALDE l. c. MENTZEL &c.
(3) DESGUIGNES T. III. p. 153.
(4) DU HALDE l. c. DESGUIGNES.
(5) DESGUIGNES l. c. p. 147.

fuit. Negotium, multis hominum millibus operi admotis, proſpere ſucceſſit. Neque tamen penitus ad finem perductum, niſi ſub Dynaſtia ſequenti, Mim ſeu Ming appellata. Mirum id non videbitur illis, qui longa terrarum ſpatia fuiſſe excavanda, plures jungendos amnes, aliorum etiam fluviorum ampliandos alveos & recipiendis navigiis reddendos idoneos cogitaverit. Ita A. 1289 incunte in Chantonia provincia foſſa a *Tſi-ngin-tcheou* (6) ad *Lin-tcin-tcheou* duci ejuſque opera fluvius Ouei cum Ven copulari coepit. Canali huic nomen inditum *Ouei-tong-ho* (7), a tertio Imperatore Dynaſtiae ſequentis, qui Yong-lo dictus fuit, perfecto, teſte GAUBILIO. A. 1292 in Petſchelia provincia foſſa ab oppido principe *Peking* ad *Tom-tcheou* perfecta eſt. Nomen hodieque habet *Ta-tong-ho.* Ab aliis abſque dubio perperam dicitur, *Tong-Ouei.* (8) Sed, his miſſis, totam Regiam foſſam a Pekinio inde ad Nankinium age deſcribamus.

Deſcendit e Tatariae montibus in Petſchelia, boreali Sinarum provincia, fluvius *Pe* ſive *Pay*, is oppidum *Tom-tcheou* rigat, diſtans a Pe-king ſpatio 6 mill. Gall. (grad. lat. 39, 56′). Inter utramque urbem ducta ab occaſu in orientem foſſa *Tatong* ſalutatur. Ab oppido Tom-tcheou per aliquot anfractus regia foſſa fluminis Pe vel Pay alveum, portandis navibus aptatum ſuum facit, in auſtrum deſcendens, donec ad pagum *Tien-tçim-ouei* (grad. lat. 39, 10′.) viginti fere milliariis diſtantem a Tom-tcheou, iſto ad ortum dimiſſo, ipſa in occaſum ſtatim, mox iterum in auſtrum abeat. Sic variis fluviis, quos in ſinum ſuum recipit, aucta, fluminis Ouei alveo, portandis navibus accommodato abhinc utitur, in Petſchelia hac etiam nonnullis urbibus *Tſan-tcheou*, *Khim-tcheou*, *Tay-ming-fou*, ad lapſa.

(6) *Tcheou* notat urbem principem ſecundi ordinis, *fou* primi. v. DU HALDE T. I. p. 111.

(7) *Ho* fluvium notat, inde & *Yun-Leang* in tabula D'ANVILLII *Yun-Leang-ho* ſalutatur.

(8) v. *Allgem. Welt-Hiſt.* T. IX. p. 108.

lapſa. In Chantoniam ubi tranſiit, ſalutato oppido *Te-tcheou* pergit ad *Lin-tcin-tcheou*, fluvio Ouei adſtructam, ſitam paulo infra grad. lat. 37, adeoque milliariis fere 60 a Tien-tçim-ouei diſtantem. Ipſa tamen foſſa ob ambages ſuas ultra 70 milliaria complet. Hic, itinere in Orientem & auſtrum deflexo, ſuo iterum alveo novoque nomine, *Ouei-tong-ho*, foſſa fruitur, praeterlabitur primi ordinis urbem *Tong-tchang-fou* (grad. lat. 36,30′.) item ſecundi ordinis *Tci-ngin-tcheou*, infra quam locus occurrit *Chan* dictus, qui aquarum caſtelli vicem praeſtat, largaſque & abundantes foſſae aquas ſuppeditat, per omnem Chantoniam provinciam ſpatio fere 75 vel 80 mill. gall. frequentium catarractarum & clauſtrorum ope diſtributas. Mox in Kiang-naniam perducta foſſa, milliaria fere 40 emetitur & in croceum flumen exit. Ex cujus altera ripa, poſt quatuor milliarium iter in fluvio ipſo continuandum de novo inchoatur ad oppidum *Hoai-ngan-fou*, inde recto fere tramite in auſtrum per mill. 30. defertur, oppida duo tranſiens, alterum ſecundi ordinis, *Kao-yeou-tcheou*, alterum primi ordinis *Yang-tcheou-fou*; cujus in vicinia diei unius fere ſpatio ab urbe Nanking cum caeruleo flumine cohaeret.

In delineando hujus foſſae ductu *Cel.* D'ANVILLII tabulas Geographicas, DU HALDIO inſertas, ſumus ſecuti; mirum quippe eſt videre, quam jejune in plurimis aliis ſiſtatur. In laudanda & ad coelum extollenda ſedulos ſcriptores & concordes offendimus, MARTINIUM (9), KIRCHERUM (10), LE COMTIUM (11), MARTINIERIUM (12), DU HALDIUM (13), alioſque. (14) Aſt in deſcribendo ſitu & menſura determinanda mira ſententiarum divortia deprehendere licuit. MARTINIERIUS eam regiam foſſam ab urbe Pekinio ad Chantonam, ultimam in Auſtrali plaga

(9) in *Atlante Sinico.*
(10) in *China illuſtrata* p. 219.
(11) *Memoires ſur l'état préſent de la Chine* T. I. p. 184.
(12) *Diction. Geograph.* Art. *Canal Royal*, & *Chine*, item Art. *Jun.*
(13) l. c.
(14) cf. & NEUHOFF *Geſandtſchaft der Oſtindiſchen Comp.* p. 129.

urbem, extendi refert; revera autem non niſi ad Nankinium, eo quo oſtendimus modo, porrigitur, a quo oppido ad Chantonam fluvius caeruleus, lacus Poyang, flumen Kan-kiang, aliaque quaedam flumina merces devehunt, niſi quod in limite provinciae Kianſiae mons Moilinius pedeſtri itinere ſuperandus ſit (15). Ex eadem fere ratione inſigne diſcrimen intelligitur, quod in menſura foſſae apud diverſos ſcriptores occurrit. MARTINIERIUS regium canalem 400 milliaria Gallica longum dicit, ſimulque Chinam omnem a borea ad auſtrum id ſpatium complere intelligit. DU HALDE Canali regio 300 fere milliaria aſſignat, Chinae a Pekinio ad Chantonam 600. Idem calculus in hiſtoriae univerſalis Anglico opere adoptatus comparet. Verum videtur ſic gradus unus latitud. aequiparari mill. Gall. 30; contra ex calculo MARTINIERII eorum 25 unum gradum conficiunt. Eſt autem Pekinium ſitum grad. 40, Chantona (Quantcheu) gr. 23, 15′, adeoque diſtant gradibus 16, 45′, qui ducti per 25 dabunt paulo plus milliariis 418, ſimili modo urbs Nanking ſita eſt prope gradum 32, (licet in tabula Geographica Tomo XXIV. hiſt. Univerſ. Anglic. praefixa ad gradum 30 fere ſiſtatur); diſtat ergo Pekinio gradibus 8. Hi ſumti 25ies dant milliaria 200. Itaque MARTINIERII ratio vero propior videtur, ſi de diſtantia inter Pekinium & Chantonam accipiatur; foſſae dimidia fere menſura erit tribuenda, etſi ex dictis pateat, ejus ſpatium ambagibus anfractibuſque quos ſequitur recte ad 250 auctum.

Quicquid hujus rei ſit, uſus foſſae quam maximus eſſe fertur, quippe qua ex auſtrali plaga quotannis novem navium millia (16), tributa gentium, frumenta, oryza, ſericum, in regiam ſedem ſubvehantur. Id tamen non ſine magno labore perficitur; quum enim tellus diverſis locis diverſam altitudinem habeat, neceſſe fuit, diaphragmata ſive euripos hinc inde conſtruere,

(15) DU HALDE l. c.

(16) MARTINIERIUS per errorem, ut puto, mille ponit; ſed videſis MENTZELIUM in *Chineſ. Chronol.* p. 113.

ſtruere, quibus nunc deſcenſus per cataractas aut aſcenſus navibus reddatur facilior, nunc impediatur altior unda, ne tota citius juſto defluat, nunc transmittendis majoribus navigiis humilior alibi unda apta redditur. Ea aquarum clauſtra, Sinis *Tung-ſea* vel ut KIRCHERUS ait *Tung-pa* dicta, in ſola foſſa *Ouei-tong-ho*, ni fallor, triginta ſex diſtinguit tabula D'ANVILLII; in univerſum ſupra viginti numeravit MARTINIUS (17); quinquaginta octo MARTINIERIUS (18), qui alio loco pro 60 per errorem ſexcenta poſuiſſe videtur. Structa uterque quadrato ſectoque lapide ac egregio firmoque opere narrat, relicta porta navium capace, quam magnis craſſiſque aſſeribus claudunt, atque, ubi neceſſe fuerit, aperiunt. Itaque miram eſſe aquaeductuum longitudinem, aggerum altitudinem & craſſitiem, clauſtrorum praeſtantiam, miramque operis firmitatem, ut credamus, MARTINIUS facile a nobis impetrat, eadem laude id opus mactantibus KIRCHERO, NEUHOFIO, aliiſque. Sed ad haec quid MARTINIERIUS? Hic in cataractis ea, qua apud nos, cura clauſtra confecta eſſe negat, neque niſi magna lacertorum vi adhibitiſque ergatis ex inferiori foſſae parte in ſuperiorem naves elevari atque proferri a Sinis narrat, ex eademque cauſa deſcenſum periculis plenum eſſe ſolere ſubjungit. Verum tantum abeſt, ut is hoc loco nobis obſtet, ut ipſe etiam hanc Regiam foſſam ab omnibus reliquis, quae frequentiſſimae per Sinam viſuntur, ea re maxime differre aſſerat, quod haec longe ſolidiorem praeſtantioremque operam oſtendat, imo cum optimis ejus generis operibus in Europa ſtructis de principatu concertare queat.

(17) l. c.
(18) cf. DU HALDE l. c.

III. IN AFRICA

§. III.

Foſſae Omaris & Joſephi.

Cujus auſpiciis quove tempore multiplices foſſae diſpertiendis Nili undis ex hoc fluvio in utramque plagam ſint derivatae, nolim quiſquam ex me quaerat. Otioſa foret diſquiſitio, & ab hoc noſtro negotio aliena. Sufficiet nobis duos deſcripſiſſe canales, in quibus ſtruendis commercii potiſſimum extollendi ratio habita fuit. Prior *Omarem*, filium Alchittabi Muslimicorum Imperatorum tertium auctorem agnoſcit, qui quum anno Hegirae 13 regundis Saracenorum rebus eſſet admotus, arma victricia per Syriam, Perſiam, Aegyptum circumtulit, Damaſco, Hieroſolymis, Medaia, Miſra, quae antiqua Memphis fuerat (1), Alexandria potitus, potentiae atque crudelitatis veſtigia ubique reliquit (2). In ſubjuganda Aegypto Amri, is patrem Alaſum habuerat, ope eſt uſus, qui, quod in Miſrae a ſe expugnatae atque devaſtatae ruinis tentorium ſuum ſtabiliverat, iſti urbi ad Nili latus orientale transpoſitae nomen *Foſtatae*, id eſt, tentorii reliquit. Inde perrexit Alexandriam, eamque anno Hegirae 20, cujus initium cum 21 Dec. A. C. 640 coincidit, cepit. Quo facto, quum Medina laboraret annonae penuria, Omari ex abundantia Alexandrinae urbis Amrus frumenta ſubmiſit. Quoque id liceret & in poſterum, e Nili ripa prope Foſtatam, Colzumam,

(1) ABULFEDA *Geograph.* Tab. 2. *Geographus Nubienſis* p. 97. quae loca ſubobſcura in *Indice Geographico* opera SCHULTENSII ſubjuncto BOHADINI *vitae Saladini* illuſtrantur, adductis etiam verbis JACUTHI *Hamatenſis*, *Geographi* v. *Miſr.* Alii, quibuſcum HERBELOTUS, POCOCKIUS, D'ANVILLIUS faciunt, Cairum ſ. Cahiram vel Babylonem cum Miſra eandem putant.

(2) ELMACINI *hiſtoria Saracenica* L. I. C. III.

mam, Clyſma veterum ut videtur, portum ſinus Arabici, foſſam Imperatoris juſſu deduxit (3) & in ejus gratiam *Khalitz Emir elmumenin* ſive *foſſam Imperatoris fidelium* appellavit. Ejus rudera forſan in POCOCKII tabula praeſtat foſſa, quae mediam vallem dictam *Derb-Towerick*, montibus Attaka & Gewobée interjectam, percurrit (4). *Cel. Auctoribus Anglis hiſtoriae univerſalis* (5) potius Amri opera foſſam, ab Hadriano olim paulo inferius deductam, limo, arena, lapidibuſque expurgatam eſſe placet; ſi quid tamen video, rationes, quas allegant, rem hanc non prorſus conficiunt, ex ſcriptoribus ſaltem, quorum teſtimonio nituntur, quicquid aliud facilius, quam id ipſum extorſeris.

Aliam ex altera Nili ripa, occidua ſcilicet, derivatam foſſam, *Joſepho* (6) cuidam, Aegypti praefecto tributam, lubentes huc traheremus, modo apud ſcriptores plura de tempore deque ſcopo, quo ſtructa fuit, invenire liceret. *Khalitz-il Menhi* aut *Bahr Juſef* ſalutatur. (7) Verſus gradum latit. 28 progreſſa e Nilo, per aliquot anfractus deſcendit in boream ad gradum uſque 29, 20′, ubi in occāſum deflexa in Moerin uſque lacum pertingit, quem ſic cum Nilo ligat. Alveum foſſae trecentos fere pedes (8) latum refert POCOCKIUS (9), aggeribus utrinque munitum, altis quadraginta pedes. Ex Moeridis dein occiduo angulo alia foſſa ad boream olim deducta verſus mare viſitur, quam D'ANVILLIUS egregie ſiſtit. Ea, quod

(3) ELMACIN. l. c. EUTYCHIUS *Annal.* p. 320. 321.
(4) In *tabula* D'ANVILLII ea vallis dicitur *Vallon de Tiheh* ou *de l'Egarement & la Plaine de Gendeli*, ad mare ſitum eſt oppidum *Toairek*, unde apud POCOCKIUM nomen valli datum *Derb Towerick*. Demum montes memoratos D'ANVILLIUS nominat *Eutaca* & *Kuaïb*.
(5) T. XIX. trad. Germ. p. 458.
(6) Idem hic *Joſephus* videtur fuiſſe, cui & alia opera magnifica in Aegypto adſcribuntur, ut puteus mirabilis atque baſilica, de quibus POCOCKIUS *Travels of the Eaſt* p. 33 & 34.
(7) vid. *Tab. Aegypti* apud POCOCKIUM & D'ANVILLIUM.
(8) Centum *yards* ponit; ſed *yard* reſpondet tribus pedibus.
(9) l. c. p. 60.

quod aquis ſit deſtituta, *Bahr-bela-me* ab accolis vocari ſolet. *Joſephi* haec foſſa, quod adjiciendum reſtat, omnino diverſa eſſe debet ab ea, quam DIODORO (10) SIC. teſte, *Moeris* ipſe in lacum a ſe & factum & appellatum, deduxit. Octoginta enim ſtadia ſive decem milliaria longam fuiſſe narrat; hodierna contra foſſa id ſpatium decies complet, imo ſuperat.

Eas inter, quas hoc medio aevo molitos eſſe mortales hactenus oſtendimus, foſſas, una eſt Sinenſis Regia, quae optato fine gaviſa hodieque perſtat, iis proinde accenſenda, quas ſupra ex antiquiſſimis conatibus aetatem tuliſſe docuimus.

---

(10) L. I. p. 48. Foſſae e Nilo in Moerim lacum meminit & HERODOTUS in *Euterpe* cap. 4. Idem id ſtagnum Moeris Regis opus eſſe teſtatur ib. cap. 101.

RECENTIORA
JUNGENDORUM
MARIUM FLUVIORUMQUE
MOLIMINA.

Nil mortalibus arduum eſt.

HORAT.



RECENTIORA
JUNGENDORUM MARIUM FLUVIORUMQUE
MOLIMINA

CUt, pulſa caligine, novus litterarum ſplendor humanas mentes refecit, mirum eſt dictu, quam cito ſcientiae plurimae caput extulerint, quanto in honore haberi coeperint, quantam mortalium in animis audaciam excitarint. Ab eo tempore nihil eſt omnino, quod intentatum reliquerint. Quicquid ſubſidii augendis potiſſimum commercii rebus ex diverſarum artium peritia hauriri potuit, quicquid opportunus locorum ſitus ſuggeſſit, id omne trahi

in uſum coepit. Creandis aquarum ductibus novis, navium decurſui itineris compendia monſtraturis, praetulere facem ſtudioſius excultae hydraulica atque mechanica artes; excavandis in eum finem montibus facilem operam praeſtare juſſus eſt pyrius pulvis; aquarum clauſtris, mira & incognita veteribus arte ſtructis, illaeſa ex imis vallibus in altiſſimos montes eſcendere, retroque ex his in illas relabi edocta ſunt navigia. In univerſum, litterarum ſtudia, in omne hominum genus magis magiſque divulgata, plura quam olim provocarunt ingenia, multiplicium conſiliorum, votorumque feracia. Itaque his rebus effectum eſt, ut ultimis his ſaeculis longe frequentius ſit de jungendis fluviis maribuſque cogitatum, quam prioribus cunctis; ut triſaecularis ſpatii induſtria omnis antehac aevi ſollertiam ſuperarit. Intelligis ex ratione eadem, qui factum ſit, ut in Europa maxime, una fere his ſtudiis exculta, ea foverentur conſilia, quae gentibus aliis vix in mentem venere.

Quo ordine haec recentiora conamina referremus, dubii ſtatim haeſimus; temporumne habita ratione ſingula perſequeremur ſaecula, an a gentibus quibuſque perfecta opera junctim exponeremus, an tandem regionum ordine progrederemur. Placuit haec prae illis differendi via, idque ex ea maxime ratione, quod & in contexendis priorum temporum laboribus eadem inceſſimus, & lectorum pleriſque ſic faciliorem ſingula trutinandi operam exhibeamus.

Ut autem in omni hoc exſequendo conſilio non aequabilem nobis ſervare modum liceat, ejus rei cauſa

in

in requiſitae ſupellectilis penuria partim, partim nimia abundantia quaerenda eſt. Foſſarum quippe quarundam vix ullam apud ſcriptores mentionem invenire licet, quum contra alias alii data opera prolixe expoſuerint. Sic & in tabulis, quibus terrarum ſitus depingitur, rara ſunt nonnullarum veſtigia, aliis propriae & luculentae dicatae ſunt mappae, intelligendae rei vel ſolae ſuffecturae.

Ex his amicorum benevolentia Principumque virorum propenſiſſimus in me favor bene multas mihi ſuggeſſit, quorum munificentiam ni ſuo loco depraedicem, ingrati animi, a quo longiſſime abſum, notam haud effugiam. Neque vero nulla mihi ſpes ſubnaſcitur fore, ut inſignis paratae hactenus ſupellectilis copia augeatur in poſterum; quae res me movit, ut heic ſaltem omnium conatuum ſeriem ſuccinctam exhibere mecum conſtituerem, quo patronis atque amicis aliiſque harum rerum gnaris innoteſceret, quaenam molimina, quaeve eorum deſcribendorum adjumenta in notitiam meam pervenerint, quae contra curam meam, quantumvis ſedulam, hucuſque fugerint. Simul puto, haud injucundum erit, haec tanta audaciae pariter ac ſapientiae humanae documenta brevi quaſi tabella depicta luſtrare oculis. Diſtinguemus autem ubivis mera conſilia atque vota a laboribus ſuſceptis, eoſque irritos ab iis, qui proſperum ſunt exitum ſortiti; quaenam hodie molimenta principum ingenia & ſubditorum lacertos exerceant, a prioribus cunctis ſejuncturi.

I. IN EUROPA

§. I.

IN HISPANIA

Molimen hodiernum

Fossa Madritensis. Madrito vel Mantua Carpetanorum ad mare deducenda, architecto MARTINENGIO. Extant litterae Regiae datae a. 1771. m. Nov.

§. II.

IN GALLIA

Quam apte Galliae flumina quamque facile jungi possint, jam olim oculatissimus STRABO observasse videtur.

Fossae perfectae

Fossa Occitaniae, vulgo *Canal Royal de Languedoc*, jungendis interno & Aquitanico maribus ope Garumnae.

Consilium id jam a Romanis, dein sub CAROLO M. FRANCISCO I. & HENRICO IV. agitatum erat. Instauratum & serio captum a. 1664. perfectum opus circa a. 1682. jussu *Regis Christianissimi* LUDOVICI MAGNI, auspiciis COLBERTI, cura RIQUETI.

Auctores

Avis présenté au Cardinal de Richelieu pour la jonction de la mer Océane avec la méditerranée par ETIENNE RICHOT & ANT. BAUDAN. 8. Par. 1633.

Discours sur la jonction des mers par CH. SOREL. 4. Paris. vers 1664.

